

17. Nov.



*P. 253*  
CHRISTOPH. CAROLI HENR. DE KAMPTZ  
*MEGAPOLITANI*

*P. 253*  
COMMENTATIO  
DE  
**FVNDAMENTO ET LIMITIBVS  
OBLIGATIONIS LIBERORVM  
AD FACTA PARENTVM PRAESTANDA.**

*P. 253*  
IN CONCERTATIONE  
CIVIVM  
ACADEMIAE GEORGIAE AVGUSTAE  
DIE IV. JUNII CICCCCXC  
PRAEMIO A M. BRITANNIAE REGE AVG.  
CONSTITUTO  
ADIVDICANTE  
INCLYTO IVRECONSULTORVM ORDINE  
ORNATA.

*Fortia facta patrum gentis cunabula nostras*  
VIRGILIVS MARO.

GOTTINGAE  
TYPIS JO. CHRIST. DIETERICH.



## СИОТИАНОГЕНІЙ

M V I V C



JAD MIT TOH

# CONSPECTVS

## TOTIVS COMMENTATIONIS.

*Obligatio liberorum ad facta parentum praeflenda, praemissis ad eius intellectum nonnullis, (§ 1 et 2) spectatur:*

I. *Si Liberi parentum heredes non sunt facti* (PARS I.), qui

- A) *ex iuris naturalis principiis* (SECT. I.) a) ob solam liberorum qualitatem  
hac obligatione non tenentur (§ 3), sed b) ad eam operandam, aliud  
fundamentum ut accedat, necesse est (§ 4).  
B) *Secundum iura positiva* (SECT. II) a) aequae, qua liberi, hac obligatione  
absoluuntur (§ 5-9) b) etiam si titulo singulari paterna ex hereditate quid  
ceperint (§ 10.) c) nisi speciali ex ratione liberos hac obligatione leges  
obstruxerint (§ 11.) ita ut d) et hic aliud obligationis fundamentum re-  
quiratur (§ 12.).

II. *Si eorumdem heredes existunt* (PARS II.)

- A) *Circa liberorum herendum ad facta parentum praeflenda obligationem ge-*  
*neralia quaedam proponuntur principia* (SECT. I.)

B) *ex quibus adstruitur* (SECT. II.)

AA. *Obligatio liberorum ex factis parentum licitis* (MEMBR. I.)

- i. *Circa quam, quid ex iuris naturalis principiis statuendum sit?* disqui-  
ritur (DIVISIO I.)

ii. *Argumentum nostrum ad iuris positivi principia reuocatur* (DIVIS. II.)

A) *In Successione allodiali* (CAPVT I.), quae regitur

- AAA) *Ex iuris Romani principiis* (TITVL. I.) quod a) exule, quoad  
hunc articulum, suorum et emancipatorum discrimine, omnes liberos  
parentum heredes ad praeflenda eorum facta aequaliter obstringit  
(§ 20.) b) Cuius obligationis a) indeoles eruitur (§ 21.) et b) limi-  
tes exponuntur (§ 22.).

## CONSPECTVS TOTIVS COMMENTATIONIS.

BBB) Ex iuris Canonici fancitis (TITVL. II.).

ccc) Secundum iuris Germanici principia (TIT. III.)

I) Sancta iuris Germanici antiqui proponuntur (§ 24 et 25). II) iuris hodierni principia adferuntur AA) ratione nobilium a) quoad successionem in bona vulgaria (§ 27) b) quoad bona auita, ratione quorum liberi a) ad facta parentum praestanda non tentur (§ 28.) nisi b) ad hanc obligationem speciali ex fundamento obstringantur (§ 29.) — BB) ratione ciuium (§ 30.) et CC) ratione rusticorum (§ 31.).

B) In Successione feudalii (CAPVT II.)

AAA) Secundum ius antiquum Germanicum (TIT. I.)

BBB) Secundum iuris feudalis Longobardici principia (TIT. II.), vi cuius a) liberis, repudiatu paterno allodio, feendum retinere non licet (§ 33). Cuius coniunctionis a) rationes eruuntur (§ 34) et b) genuina indoles exponitur (§ 35); sed b) inter successionem allodialis et feudalem discrimen, quum per eam neutiquam sublatum sit, filius in utramque succedens, spectatur a) tamquam heres allodialis (§ 36.) et b) tamquam successor feudalii, cuius nomine a) ex factis patris, perinde ac quilibet successor feudalii, non tenetur (§ 37), nisi b) ratio obligandi specialis interueniat (§ 38); denique c) autoritas huius textus II. F. 45. bodierna disquiritur, et a) ratione feudorum priuatis constitutorum defendit (§ 39), sed b) ratione feudorum Imperii maiorum negatur (§§ 40 et 41.).

BB. Obligatio liberorum ex factis parentum illicitis (MEMBR. II.), quae revocatur I) ad principia iuris naturalis (§ 42) II) ad fancita iuris positivi — Romani (§ 43.) — Canonici (§ 44.) — Germanici (§§ 45. 46) et feudalii Longobardici (§ 47.).

*Ad*

2000. 2.

---

*Ad intellectum quaestioneis propositae quaedam  
praemittuntur.*

§ 1.

a) *Ad obiectum obligationis certamini indiciae.*

*Factorum* vocabulo in genere continentur omnes omnino alicuius actiones gestaue, sive iisdem sepe aliis obstrixerit sive non; quidquid ergo quocunque modo expeditur a). In sensu autem strictiori eoque ad nostrum argumentum magis spectante, eorum nomine eantum veniunt facta, quibus quis aliis ad quid praetendit obligatur b), v. c. contractus, conuentiones, quin etiam obligationes immediate e lege profuentes; facta igitur hocce in sensu obligatoria vocantur nec aliud ac obligationes vel debita esse videntur c).

Hasce, quibus tertius tenetur, obligationes hunc in finem et hocce effectu agnoscere et in se fuscipere, vt ipsi loco autoris contrahentes ad easdem implendas obstringamus, facta eiusdem praestare in iure vocatur d), quae quidem impletio pro varia factorum praestando-

a) Cf. SAM. STRYK diff. de facto defuncti ab herede non praestando Cap. I. § 3. 4. in eiusd. diff. jurid. Vol. V. n. 23.

b) 1. 60. D. de condit. et demonstr. l. 189. l. 218. D. de V. S. Minus recte ergo obligatio liberorum ad voluntatem paternam sibi testamento codicilliis praescriptam adgnoscendam explendamus cum STRYKIO in diff. cit. cap. I. § 4. et cap. III. ad quaestioneis fines refertur, quippe quod testamentum aliae ultima patris voluntas factis priori in sensu summis adnumerandum.

c) l. 178. § 3. D. de V. S. modo obligationis vocabulum, non, vt classificis venit, sed passiu sumatur. conf. l. 17. D. Quod metus causa gestum erit.

d) Videfis l. 149. D. de R. I. 1 22. D. pro socio, l. 25. § 4. D. de aedilitio edito. l. 1. § vlt. D. furti aduersus nautes, caput, et stabul. l. 1. § 8. l. 7. pr. D. nautae, capones, stabularii, vt recepta restituant. Apprise congruit Germanorum phrasis: *Für jemandes Handlungen haftien, stehen, feu, vti in antiquis LL. Germanicis occurrit: an jemandes Statt antworten (ius. feud. Alem.*

standorum indole diuersimode fieri potest tum actiue v. c. soluendo, refaciendo, restituendo, dando, continuando, agendo &c. tum passiue, vt concedendo, permittendo, patiendo, non impugnando, omittendo, et quae sunt reliqua huius generis species.

## § 2.

b) *Ad eiusdem subiectum.*

Quid: facta alicuius praestare, quum fatis iam pateat; supereft, vt ad quaeftionem: cui eadem praefandi obligatio incumbat? pauca, praefaminis instar, praemittam.

Neminem factis alienis obligari, regula est notissima, genuinis fundata principiis et utramque in iure faciens paginam. Nec tamen omni exceptione maior est. e) Vis quaeftionis, concertationi indictae, in eo est, vt doceatur, an, et quibusnam ex principiis haec regula exceptionem patiatur in liberis quoad facta parentum.

Sed ab hac disquisitione hoc loco prorsus abstrahens, id tantum moneo, quod liberi erga parentes dupli potissimum respectu considerari possint, liberorum nimurum *qua talium*, remoto quovis alio nexus, ac deinde parentum tamquam heredes. Quibus praefundatis, summa quaeftionis, nisi omnia me fallant, eo redit, vt 1<sup>mo</sup> inquiratur: an, et quatenus liberi ob *solum* gnatorum qualitatem ad facta defunctorum f) parentum praefanda obstringantur? 2<sup>do</sup> autem: quatenus hac obligatione ob accendentem nexum hereditarium teneantur? vnde tota commentatio bipartita eudet.

## PARS

Alem. art. 83.) aut alicius factum idoneare (lex Ripuarior. tit. 67. § 1.) siue recognoscere quod fecerat pater vti legi potest in diplomate de 1223. apud GUDENUM in codice diplomatico T. I. p. 487.

- e) Exceptiones, quibus haec regula subiecta collectas et adumbratas inuenies in HAGEMANN und GÜNTHER *Archiv für die theoretische und praktische Rechtsgelehrsamkeit*, Th. IV. n. I. (Braunschweig 1789.)
- f) Nam de defunctorum parentum factis praefandis fere unice agendum est. Viuis namque parentibus perquam rara de hisdem quaefatio mouetur, licet non plane excludatur, v.c. circa reuocationem alienationis bonorum liberorum a patre factae etc. Sic filius qui fideiuisionem pro debito parentis inclusi suscipere refusauerit, exhereditationis poena affici potest, et quae sunt reliqua, quae tamen ad nos non pertinent.

## P A R S I.

DE OBLIGATIONE LIBERORVM AD FACTA PARENTVM  
PRAESTANDA SI EORVNDEM HEREDES NON SVNT FACTI.

## S E C T I O I.

*Ex iuris naturalis principiis.*

## § 3.

a) *Liberi ob solam liberorum qualitatem hac obligatione non tenentur.*

**O**mnium quibus parentes liberique, qua tales, inuicem tenentur obligationum fundamentum, *patria*, vt vocatur, *potestate*, quem contineatur, ad eiusdem principia, quoties de eorum iuribus obligationibusque quaestio mouetur, vnicore currendum esse, dubio caret. Sed nemo non, me quoque tacente, animaduertet, longe extra harum pagellarum fines fore vagari, in genuinis huius potestatis fundamentis prolixe exponendis tempus consumere g). Instituti namque rationibus magis conuenit ex suppositis hisce principiis elicer, an et quatenus iste patriae potestatis nexus liberos ad quae parentes contraxerint implenda obstringat?

Genitos suos et alendi et educatione, ad bonum saltem negotium promouendum necessaria, instruendi obligatione parentes teneri, nemo est quem fugiat. Quaecunque proinde ad perfundendum duplice hocce officio egerint contraxerint, debita profecto sunt, ad quae liberis subministranda parentes iure perfecto tenentur, nec ea propter alia in liberos consequuntur iura, quam quae ex parte liberorum huic parentum obligationi respondent et quae ad sufficientem iustum-

g) Toto mehercle coelo melius quam a me sperari aequitas permittit, delineata sunt in tribus Regiae litterarum, quae Birolini floret, societas commentationibus iunctum 1788 editis, titulo: *Dissertationes sur l'autorité paternelle*, quarum primae auror VILLAUME praemium obtinuit, cui secunda, autore DAUNON, proxime accessit, et tertiae denique secunda loco accedere pronunciatae autorem, hucusque non notum, KLEINJUM nuperrime renunciauit die Gothaicae gelehrte Zeitung de 1789. Nr. 40.

iustumque duplicitis eiusdem officii expletionem requiruntur v. c. educationem dirigendi, obsequium ad eamdem necessarium eique correlatum exigendi cet. Simil atque vero liberi, vt per suasmet ipsius vires se se tueri valeant, adoleuerint, omnia parentum iura, et proinde omnes liberorum obligationes, quippe iuribus correlatae, imperfectas ni exceperis, extinguntur. Neque ergo in parentum autoritate et eorum in liberos iuribus vlla continetur ratio, ex qua parentibus ius possit vindicari, vi cuius liberi ad parentum defunctorum facta praestanda obstringantur h).

Fundamentum si quaeris huic obligationi in liberorum erga parentes reuerentia ac obedientia; nec minus deest. Liberos enim, licet obsequium parentibus exhibere deceat, illi tamen, si ius respexeris perfectum, ad illud praestandum ultra haud tenentur quam quatenus parentum in liberos patent iura, hoc est, quatenus ad finem nutritionis educationis necesse est. Neque vero in hoc fine nostrae obligationis vllum inniti fundamentum intelligo. Vtraque perquam commode expleri potest absque hac ex parte liberorum obligatione.

Nec minus propter haec alimenta vel hanc educationem talem suscipere obligationem liberi, me quidem iudice, cogi possunt; quippe quae, vt egregie docet Villaume i), debita profecto sunt officia, ad quae liberis omni alieno destitutis auxilio opitulanda parentes tenentur, et pro quibus per consequens, si rem ad iuris cogentis principia reuocaueris, ne gratitudinem quidem repetere possunt. En quis quoae inde deducere valeat obligationem debita, a parentibus contracta, exsoluendi, damna ab ipsis data resarcendi cet.? Omnis profecto deest obligationis causa.

Quid enim suadeat pietas, et reuerentia, quid honestas ac familiae et paterni nominis honor ac conseruatio, quid alias denique imperfecti iuris rationes, hoc loco non curio k).

#### S. 4.

h) Cfr. quoque SAM. WILLENBERG: interpretatio rubricae: ne filius pro patre, ex iuris naturae fontibus eruta. (*Gedan. 1713-4.*)

i) l.c. p. 7.

k) Quibus nimium tribuit SAM. STRYK in tractatu de successione ab intestato, dissert. VIII. C.X. § 82 p. 806.

## § 4.

b) *sed ad eam operandam aliud fundatum ut accedat necesse est.*

Quamvis liberos sola ex liberorum qualitate ex factis parentum neutquam teneri ex §pho antecedente satis liquere rear; eosdem tamen ad ea praestanda iis ex rationibus obstringi, quibus tertius quisque alienis factis obligatur, certo fane est certius: quorsum prae caeteris in rem utilitatemque liberorum versio eorundemque negotiorum gestio. Neque enim in eo Villaume sententiae non subscrivere placet, quod ius nomine liberorum contrahendi eosdem proinde obligatione circumscribendi, parentibus omnino esse denegandum I), nisi forte ad finem educationis aut in aliam evidentissimam liberorum utilitatem, sed ita tamen, vt ius ab eiusmodi obligationibus quois tempore recedendi sartum semper iis tectumque maneat. Negotia liberorum parentes gerentes, vel quid in eorum fauorem contraxerunt, ad quod liberi obligati neutquam erant, vel obligationes, quibus implendis liberi obstricti erant, eorum nomine adimpleuerunt. Prioris indolis facta ad agnoscenda indistincte liberos cogi posse, vix credo; sed eorum potius voluntati res relinquenda videtur. Diuersa est secundi generis negotiorum ratio. Si enim parentes debita liberorum exfoluerint, eaque negotia ad quae liberi obstricti erant, geserint; v. c. damnum a liberis datum resarcirint, alimenta quae liberi locupletes egenis debent parentibus, liberorum nomine ab aliis comparaverint cet.; ad eiusmodi parentum facta agnoscenda praestandaque liberi, et si parentum heredes non existant, omni iure tenentur. Id tantum moneo, antequam de hoc loco discedo, quod liberi ex in rem versione vel negotiorum gestione vix obligari possint, nisi praeter naturalem obligationem (§ 3.) in eosdem parentes quid erogauerint verferintque; ad ea enim quae intra officii limites liberis suppeditare agnoscenda implenda nonni si in subsidium forte teneri putarem.

Quae vero ad facta parentum praestanda obligatio, quum neutquam liberorum qualitate, sed alio potius eoque speciali innitatur fundamento; sententiae meae, liberos nostra obligatione ex iuris naturalis principiis absolucenti, hae exceptiones nullo modo nec obficiunt nec aduersantur.

## SECTIO

I) l. c. pag. 17.

## SECTIO II.

## Secundum iura positiva.

## § 5.

a) *Liberi qua tales hac obligatione absoluuntur.*

Argumentum ad iuris positivi principia reuocanti, superest ut naturalis iuris principiis qualem doctrinam leges positivae superstruxerint, proponam. Nec difficilis erit negotii, liberos nostra obligatione ex iurium positivorum concantu absoluere.

## § 6.

*Id quod probatur ex principiis*

*a) Iuris Romani.*

Ius primum, quod attinet, Quiritium, liberos in patria constitutos potestate tam necessarios patri scriperat haeredes, ut paterna hereditate abstinere iis nefas haberetur, et idcirco per indirectum, heredum tamen haud dubie potius quam liberorum, qua talium, nomine, factis defunctorum parentum praestandis omnino obstringebantur, quippe quorum obligationes continuare videbantur *m).*

Paterna vero potestate egressio successio erat denegata, omnis patriae potestatis nexus solitus, nec ergo ex parentum factis ullo modo tenebantur. Sed concessio suis haeredibus nouiori aeuo paterna hereditate abstinendi beneficio, iure succedendi emancipatis dato, eorum et suorum conditio eatenus est adaequata, quod nec sius nec aliis quisque descendens, parenti haeres non existens, nec alio obstrictus fundamento (*§ 10 et 11*) ad facta eiusdem praestanda tenetur *n)* indeque effectum sit, ut haud obstante arctissima priuatis in negotiis inter filium patremque vnitate, ille patris factis nec licitis nec illicitis obstringatur, quin potius eidem licitum sit quae suum

in

*m)* Illust. GEORG LUD. BOEHMER in diff. de haerede suo ab haereditate se abstinent et se immiscente § 4 in Eiusd. electis iuris civil. T. I. p. 94 et de hoc casu intelligo Es. FRID. PUFENDORFF in observ. iuris vniuers. tom. IV, obs. 153 § 7.

*n)* 1.57 D. de A. vel O.H. 1.20 § 4. eod. l. 5. § 16 D. de agnosc. et alend. lib. 1. 12 D. de interrogat. Ill. BOEHMER l.c. § 13 et 14.

ref. no. 1003

DE OBLIG. LIB. AD FACTA PARENT. PRAESTAND. II

in praeiudicium defunctus pater egerit, iure proprio reuocare et impugnare o).

Hicce principiis nihil tam consequens mihi videtur, quam quod patris creditores liberos ex factis defuncti conuenientes, horum vel immixtionem vel aditionem, ceu ipsorum actionis intensionis fundamentum probare teneantur, quae quidem sententia ad sensu III. BOEHMERI ornata est p).

§ 7.

β) iuris canonici.

Ius pontificium, quum ne paternis delictis liberi teneantur, ca-  
veat q), non vereor ne in nimiae temeritatis crimen incurrire vi-  
dear, si ex hicce iuris canonici principiis, a naturalis praeterea aequi-  
tatis rationibus plerumque non deflectentis, liberos ob solam libero-  
rum qualitatem nullis parentum factis ad ea implenda obstringi, nec  
ergo ius ciuale non seruasse pontifices sustineo. Deest enim contra-  
rium constituens dispositio et iuri igitur naturali et ciuili inferniire  
praesumendum.

§ 8.

γ) iuris Germanici.

Iura maiorum, prout iuris naturalis principiis, quantum fieri  
potuit, acriter inhaerebant, ita quoque in ponendis obligationibus  
patrem filiumque stringentibus ab iisdem haud recesserunt r). Id  
quod nostro quoque in argomento conspicuum est, quum, quae anti-  
quissimis ab temporibus ad nos vsque peruenere maiorum monumenta  
legum tam ciuilium s) quam feudalium t), liberos parentibus here-  
legum tam ciuilium s) quam feudalium t), liberos parentibus here-

B 2

des

o) v.c. l. 10 D. de transact. l. 89 l. 99 D. de A. v. O. H. l. 14 C. de R. V.  
l. 4 C. de primipl. l. 4 C. quod cum eo qui in alien. potest. l. 5 C. de  
rebus alien. non alienand. l. 31. C. de euist. l. 73 D. eod. l. 2 l. 4 C. ne  
filius pro patre; l. 3 C. qui bonis cedere possunt etc.

p) l. c. § 25. cfr. etiam Io. CHRIST. Koch de haeredibus suis ad probatio-  
nem abstentionis haud obligatis Gislae 1776.

q) c. 6 sqq. C. I qu. 4.

r) I. G. HEINRICII elementa iur. Germ. lib. I tit. VI. § 143.

s) Leges Wiligothorum Lib. VI. tit. I lex 8 (Georgisch. corpus iuris Germ.  
p. 2024). Capitulares Caroli M. et Ludouici Pi lib. VI. cap 53 (ibid.  
p. 1519). Ius prouincie Alemannic. cap. 262 (Senkenberg corpus iuris  
Germ. medii aeui tom. II. p. 312). I. P. Saxon. lib. II. art. 17 (ex edi-  
tione Ludouici) lib. III. art. 31 (ibid. pag. 449). Bayerisches Landrecht  
(de 1344) Cap. 99.

t) Ius feud. alemannic. artic. 83 (Senkenberg corpus iur. feudalis pag. 71)  
art. 89 § 7. Ius feud. Saxon. Art. 24 § 28 (ibid. p. 236).

des non existentes nec eorum factis delictis teneri statuant. Neque profecto haec principia hodierno vnu destituuntur, quum, vt infra pluribus probandum, in eo Germaniae ciuium ordine, qui mores iurae maiorum pae caeteris seruare studuit, liberi in bona stemmatica succedentes, ea ratione, quod intuitu bonorum horum auitorum heredes parentum non fiant, eorundem factis non obstringantur.

## § 9.

d) *feudalis Longobardici.*

Ius feudale longobardicum, quamvis caeteroquin liberorum causam parum soueat, eatenus tamen ab expositis hucusque principiis alienum non est, quod filium omni et allodiali et feudal patris successione abstinentem, licet repudiatum feudum ex noua Domini gratia ex post accipiat, nullo onere hereditario affici caueat u). Filius ergo debitis quidem paternis non tenetur; at feudum a patre alienatum reuocare nequit, quippe cuius amissio sua repudiationis est poena.

## § 10.

b) *etiam si titulo singulari paterna ex hereditate quid ceperint.*

Neque liberi parentum non heredes, legibus naturalibus et positius conspirantibus, ab obligatione eorumdem facta praestandi soluti, ad eadem agnoscenda tenentur, si ex causa donationis, legati, dotis, alioue quocunque singulari titulo, paternorum bonorum aliqua acceperint v), nisi forte obligatio defuncti huic rei singulari inhaerat eamque afficiat, quippe quae nonnisi cum sua causa in liberos transferri potest. Eiusmodi enim successor nec heres est nec defuncti personam repreäsentat, ideoque, deficiente nexu hereditario, obligacionibus ex eodem descendenteribus non obstringitur, nec proinde, nisi ex alio forte fundamento, nonnisi pro oneribus rem adficienteribus, tenetur.

## § 11.

a) II. F. 45 in f. conspirant leges territoriales ex. c. *Projekt des Mecklenburgischen Lehnrechts* tit. 21 art. 10 (Lunig corpus iuris feud. Germ. tit. T. II. p. 1619). Haec utramque repudiandi facultas filio non deneganda MÖLLER vñus pract. distinctionum feud. cap. XVI. dist. 7.

v) l. 15 l. 24 C. de donat. l. 2 l. 3 C. de reuocand. quae in fraud. creditor. alienata sunt; secus si tota iurum vniuersitas titulo singulari translatâ est, cuius exemplum videbis in l. 28 D. de donationibus cfr. LEYSER sp. 361 med. 25 et 26.

## § II.

c) *nisi speciali ex ratione liberos hac obligatione leges obstrixerint.*

Defensa hucusque a me liberorum a paternorum factorum prae-statione immunitas, solidissimis quamvis innitatur principiis, non desunt tamen, licet rariores nimiumque speciales et exigui plerumque usus, ab hac regula exceptiones, hoc tamen loco paucis subiungendae.

Et ius primum, quod spectat, Romanum hanc, et ratione facto-rum parentum licitorum, quoad mihi innotuit, vnicam constituit ex-ceptionem, quod nimur liberi, etiamque parentum heredes non exi-stant, eorum tamen debitis ex primipili causa teneantur *w)*; quae quidem prorsus singularis constitutio, παραδοξόν a Graecis vocata *x)*, utilitatis reipublicae rationibus, fauore et priuilegio militiae ac pree-sumtione forsan ex causa hac primipilari, viuo patre, ad liberos inque-erorum utilitatem quid peruenisse, inniti videtur.

Quoad delicta defuncti patris notanda est ea sanguine, vt iure meritoque dici potest, conscripta lex *y)* C. ad legem Julianam maiestatis, quae ob crimen perduellionis a patre commissum, confiscatis eius bonis nec liberis eiusdem heredibus factis, filiis infamiae maculam inurit. \*)

In legibus maiorum nonnulla quoque reperiuntur vestigia, quod liberi ob delicta parentum vel una cum iisdem poenam subire *y)* vel homicidium a parentibus commissum in subsidium componere *z)* te-neantur, sed nimis omnia specialia.

Nec desunt iura territorialia eaque plerumque feudalia quibus liberi, et si non heredes, vel ad debita parentum defunctorum simpli-citer vel in subsidium exsoluenda *a)*, vel saltem ad facta eorumdem

B 3 non

*w)* I. 4 C. de primipilo: cum ex sola primipilari causa etc.

*x)* Ut obseruat DIONYSIUS GODOFREDUS in notis ad corpus iuris civilis ex editione 1653 ad legem cit. litt. g.

*\*)* Cfr. A. B. cap. 24. § 4. sqq.

*y)* Lex Burgundionum tit. XLVII, Legis Frisonum tit. VI. § 2.

*z)* Pactus Legis Salicae antiquior. tit. LXI (Georgsch p. 119) sed iam Chil-debertum Regem banc legem apud paganos tantum vnu obtinuisse anno 695 referentem attestatur PAULUS CANCIANI in legibus barbarorum (Veneror. 1781-83.) Vol. II. p. 118. memoratam legem egregii obseruationibus il-lustrans.

*a)* Ex. gr. Decisiones Electoris Joannis Georgii II. Saxonis de 22. Aug. 1661 decilio 68 (in LUNIG corp. iur. feud. Germ. T. II. p. 642).

non impugnanda b) ex rationibus plerumque plus iusto extensa, reuerentiae honorisque paterno debiti nomini obstringuntur.

§ 12.

d) ita ut et hic aliud obligationis fundameutum requiratur.

Quae vero exceptions, quum certe nimium sint speciales quam quae sententiae meae obstant, omni profecto iure sententia valebit, quod liberi parentum heredes non facti, nec eorundem factis licitis aequo ac illicitis vnanimi legum concentu teneantur. Quo ergo haec obligatio ponatur, aliud vinculum aliud ut accedat fundamentum, necesse est (§ 4). Obstringuntur namque liberi eodem ac extraneis iure ad praefanda ea parentum facta, quae, positis iustis limitibus, eorum in utilitatem suscepta sunt atque versa c), vel si parentes liberorum causam negotia gerentes in insignem eorum fauorem contraxerint d), vel si liberi parentibus heredes exstiterint, aut in parentum facta consenserint e).

Quatenus autem hisce ex fundamentis liberi obligentur, ex speciali cuiusvis indole vnicet diiudicandum est.

Insignis eaque generalis obligationis liberorum ad facta parentum agnosceda ratio, quum nexus contineatur hereditario; nunc de eodem, qui sequentem periculis partem totus occupabit, agendum.

b) Videsis: *Churfäschisches Auschreiben* d. d. Torgau d. 8. May 1583. tit. *Welcher Geschtalt die Agnaten* (LUNIG l. c. p. 609.). *Magdeburgische Polizeiordnung* c. VIII. § 25. (eod. p. 961.) *Constitutiones feudales Pomeraniae a Friderico III. electore emanatae* tit. XXVI. § 2. (ibid. p. 118.) *Projekt des Mecklenburgischen Lehn-Rechts* Tit. 21. art. 2 et 10 (ibid. p. 1618). *Attestatum curiae feudalis Brunflico - Luneburg*, de 1636 (eod. p. 1367.)

c) Egregie hoc declarat *Ius prouinciale Megapolitanum* autore DAVID MEVIO Lib. II. Tit. 21. § 12: *Oggleich die Kinder von der Eltern Erb'schaft abstiernen; sollen sie dennoch von dem ihrigen zahlen was die Eltern ihrentwegen, sie auszufteuern, zur Nahrung zu bringen oder sonst zu ihrem Unterhalt aufgeleihen und schuldig geworden, auch in ihren scheinlichen Nutzen gekommen, wenn sonst in ihren Gütern so viel nicht als deren abgeführt werden, vorhanden, u. s. w. apud DE WESTPHAL in monumentis medit. rerum Cymbricar. et praecip. Megapolens.* T. I. p. 951.

d) L. 24 C. de vñris, parentes tamen ad omnem culpam praefstandam tenentur l. 2. C. quod cum eo qui in aliena potestate. Formulam habet l. II. § 18. D. de Act. emti vendit.

e) Alias causas ut taceam v. c. l. 8. C. de fideiuss. et mand. l. 12. C. de neg. gest.

PARS

## P A R S II.

### DE OBLIGATIONE LIBERORVM AD FACTA PARENTVM PRAESTANDA SI EORVNDEM HERedes EXISTVNT.

#### S E C T I O I.

*Principia quaedam generalia circa hanc liberorum heredum  
obligationem praemittuntur.*

##### § 13.

a) *Heredis indols eruitur.*

**R**atio instituti eo iam me duxit, vt liberorum ex parentum factis obligationem ad eum casum reuocem, si eorumdem heredes sunt facti, eamque ex iurium, quibus per Germaniam vtimur, principiis adstruam. Quorum autem sanctita antequam recentiam, ex eorumdem rationibus generalia quaedam principia praemittenda.

Res, quo primis ex principiis eruatur, quaecunque omnino nobis competunt tam corporalia quam incorporalia, et quae patrimonii vocabulo comprehenduntur, duplices sunt naturae, *vel* eius vt nobis intuitu solius nostrae ipsius personae eiusque tum moralium tum phisicarum qualitatum, absque ylo bonorum respectu, competent, quorum plerique, nisi omnia, iura ex statu, quem vocant, personarum descendencia; *vel* eius vt non solius personae ergo nobis tribuantur, sive, id quod plerumque, habita bonorum ratione sive saltem non personae intuitu, sed ea comparata contractae intentione, vt eorum vis et effectus haud ad solam contrahentis cuiusvis personam sint adstricti, sed, contrahentibus defunctis, existere non desinant ideoque in alios transferri possint. Illa, quippe personae vnicce adnexa, *personalia*, haec autem, rebus vtpote magis inherentiā, *realia* audiunt.

Persona nostra, e medio sublata, tum iura, quae eidem competebant, tum obligationes, quibus obstricta erat, vna cum eadem expirant ac tolluntur, nec amplius in derelicto defuncti patrimonio comprehen-

comprehenduntur vel ex eodem praestari possunt. Realia autem iura et obligationes, quae partim bonis adhaerent, partim ex iis exigi possunt, vna cum bonis defuncti corporalibus, exceptis a defuncto personae intuitu possessis, eidem superstitia, vacua fiunt, nouumque quaerunt, cui adhaereant, possessore.

Reipublicae vero quum inter sit ne eiusmodi bona fiant nullius, omnis haec iurum perinde ac obligationum, quatenus nimirus morte defuncti non extinguebantur, vniuersitas alicui, quomodounque fiat, ad nos non spectat, ea lege defertur, vt non solum in ius, quod apud defunctum fuit, sed in eas quoque, quibus ille tenebatur, obligationes succedat et vtriusque intuitu loco et vice defuncti habeatur eumque idcirco repraesenter; isque *heres s. successor* vocatur *vniuersalis.* f)

#### § 14.

##### b) *Obligationum defuncti in heredem transitus illustratur.*

Heres, quum in vniuersum ius defuncti, quoad cum eodem non extinctum est, succedat, consequens est, quod non solum omnibus hac in vniuersitate comprehensis iuribus potiatur, sed etiam obligationibus eamdem affidentibus obstringatur. Quatenus defuncti iura in heredem transeant, hoc loco non curo, obligationum potius transitu vnicce occupatus.

Quae praelibasse sufficit, vt ad quaestionem: quaenam defuncti obligationes in heredes transmittantur? transire possim. Omnes, vt iam ex dictis patet, obligationes defuncti personales vna cum eiusdem persona extinguntur, nec proinde ab herede continuandae g), quo in genere omnes, in quibus singularis personae industria requiritur vel electio habetur, vel in quibus ex substrata materia aliae ratione adparet, eiusmodi obligationes ex contrahentium voluntate personales esse ideoque a persona non separabiles, v. c. tutela, sponsalia, matrimonium &c. Licit vero obligatio principalis i. e. ad obligationem personalem continuandam morte contrahentis vel personae obligatae sit extincta nec in heredem transmittatur; heres tamen ad obligationes principali accessorias praestandas. v. c. dolum, culpam, indemnii-

f) L. 24. D. de V.S. l. 62 de R.I.

g) v. c. l. 25. § 1. D. de paetis. l. 35. l. 59. l. 65. § 10. D. pro socio. l. 57 D. mandati l. 68. l. 196. D. de R. I. l. 42. de Adm. Tutor. nisi defunctus rem opusue iamiam inchoauerit VOET. comment. in D. Lib. XXVII. tit. 7. § 4 sq.

100. 1. 100.

indemnitatem, rationes reddendas &c. omni iure tenetur, nulla habita ratione situe facto defuncti locupletior, nec ne, discrimen ratione delictorum defuncti probe attendendum.

Longe alia earum obligationum est ratio, quae ad defuncti personam non sunt adstrictae. Inhaerent namque vel defuncti bonis, quorum quippe intuitu sunt contractae, vel saltē ex intentione pacientium cum determinata persona non sunt coniunctae. Quisque enim non pro se tantum, sed pro heredibus etiam contrahere censetur, licet eorum mentio expresse non sit facta *i).* Obligationes ergo ex eiusmodi contractibus descendentes, et quidem tam principales ad ipsam obligationem continuandam, quam minus principales, in heredes sunt transitoriae, qui proinde, suppositis necessariis terminis, circa eas eiusdem iuris eiusdemque, ac ipse defunctus, conditionis habentur, iisdem igitur conueniuntur actionibus, foro, ordine, instantia, iisdemque repelluntur exceptionibus *k).*

### § 15.

#### *c) fundamentum obligationis heredum ad facta defuncti praestanda.*

Quibus sic constitutis, quum omnes defuncti obligationes in heredem transeant et in eiusdem persona continentur, heres in locum defuncti successisse eumque representare putandus et pro vna cum defuncto eademque habetur persona *D.* Ridiculum ergo ac absurum quum foret, sua quemque facta impugnare, defuncti autem facta videantur heredis propria, ad quae proinde, quum ipsorum autor reputetur, praestanda omnino tenetur, quid tam consequens, quam heredem ad facta defuncti praestanda obligari? Quae quidem obligatio in charaktere heridis, vti vocatur, representatiuo ac personarum unitate innititur, ac aequissimis profecto principiis fundatur. Quibus namque defunctus obligatus erat, in eiusdem bonis ius habent quae situm ad satisfactio-

nem

*i)* l. 40. D. de Paetis. l. 9. D. de probat. l. 49. D. de O. et A. l. 13. C. de contrahend. stipulat.; nisi heredum mentionem leges expresse requirant e. g. R. I. N. § 99. Conf. etiam § 25. not *g.*

*k)* l. 12 D. de O. et A. l. 38. de V. O. l. 182 D. de R. I. l. 157. eod. l. 7. § 1. D. depositi. Exceptio est in iis actionibus, quae competebant adversus defunctum, quis possessorum alicuius rei, quae ad heredem non peruenit. l. 42. l. 55. D. de R. V.

*l)* l. 21. D. de usuris. Nov. 48. praet.

nem inde petendam, et eadem heredi nonnisi ea quasi lege linquere videntur, quam ut inuicem eorum intuitu personam defuncti locumque suscipiat eoque nomine, quae defunctus debuerit, praefet, quod onus si recusauerit, bonorum cessionem optimo suo iure exigere possunt. *m)* Et quis, queso, ad suscipienda et praestanda defuncti facta maiori iure obstringi potest, quam *is*, qui in eiusdem ius locumque succedit, tantaque ab eo capit emolumenta, et ideo, quae cum bonis coniuncta sunt, onera eo minus recusare debet, quum nulla sit hereditas, quae nonnisi deducto prius aere alieno intelligatur *n)*. Quid? heres nonne fieret locupletior cum damno alterius, si bona sibi vindicat, quae reuera non erant defuncti, sed tertio speciali titulo qaaefita? Quidquid namque ultra patrimonium defuncti in hereditate invenitur, inde separandum et tamquam plus iusto ei tribuendum, cuius patrimonio abest vel cui alia ratione debetur *o)*. Et profecto, si ad mentem defuncti respexeris, suam hereditatem heredi alia lege relinquere nec potuit *p)* nec voluit *q)*, quam ea, vt, pro accepto successionis beneficio, quae ipse debet, soluat, suique nominis seruet honorem, quum praeterea heredis semper intersit defuncti existimationem purgari ac iniuria et dedecus defuncto illatum heredi quodammodo factum sit dicendum *r)*.

Neque ergo in quasi contractu heredis vel cum defuncto vel cum eiusdem creditoribus, sed defuncti potius *repræsentatione*, dedecus fundata principiis; ac ex utilitatis publicae rationibus legali robora rata

*m)* Quibus principiis moti sunt, qui obligationi heredis ad facta defuncti praestanda quasi contractum inter heredem et defuncti creditores pro fundamento supponunt *v. c.* DAV. MEVIUS in decis. P. I. dec. 254, nr. 1. P. VII. dec. 58. n. 1. P. IX. dec. 32. n. 4. J. T. REINHARTI in Obsery. ad Christin. decis. Vol. IV. Observ. 34.

*n)* conf. omnino l. 149. D. de R. I. c. 6. X. de voto.

*o)* Hoc fustus exposuit HENR. COCEJUS in diss. de obligatione heridis ex delictis defuncti (Francof. ad Viadr. 1691) Sect. I. § 2 et 3.

*p)* Ob l. 120. D. de R. I.

*q)* l. 82. P. de condit. et demonstr. circa finem. Obligationis ergo fundamentum, qui quaerant, non defunt, in quasi contractu inter heredem et defunctum. *v. c.* H. COCEJUS in diss. de distinctione bonorum etc. § 5. in eiusdem exercit. curios. T. II. n. 42.

*r)* Ita Ulpianus in l. I. § 6. D. de iniuriis.

rata sanctione s), innititur obligatio heredis ad facta defuncti praestanda, ita ut non ex quasi contractu, sed directo ex eodem, quo defunctum, si viueret, fundamento creditores heredem conueniant t).

Neque enim de fundamento specialis obligandi rationis quaestio est, ex qua successor vel heres ad facta antecessoris praestanda interdum obligatur, v. c. in rem versione, negotiorum gestione.

## § 16.

d) *Limites, quibus haec obligatio circumscribenda.*

Posita ergo heredis ad facta defuncti praestanda obligatione, quibusnam limitibus sit circumscribenda, inquirendum est.

Limites vero, quibus regitur, duplicit naturae mihi videntur. Aliud enim est, si quaeris: ad quasnam defuncti obligationes suscipienda heres obligatus sit? aliud vero, quoisque ad susceptas iam obligationes praestandas teneatur?

Primam quod attinet quaestionem, ex heredis notione pronoalueo quum fluat, eundem ad facta defuncti personalia praestanda neutrām teneri; realium solummodo ratio habenda est. Quum vero in toto iure obligatio iuri semper sit correlata; quoisque defuncto de bonis suis disponere eaque proinde obligare et onerare ac creditoribus ius concedere licuerit factorum praestationem ex hisce bonis eorundemque futuro quouis posseflore flagitandi, eousque, ni fallor, patet obligatio heredis eiusmodi defuncti facta agnoscendi praestandiique. Quo maiori ergo parentum beneficio liberi succedunt, eo fortiori obstringuntur obligationes; quo latius ius parentum de bonis suis disponendi, eo maius eorum beneficium ac per consequens eo durior latiorque liberorum ex factis paternis obligatio. Licuerit enim parentibus hereditate sua, bona nimirum penitus alienando, gnatos priuare, quam si iis vel testando vel non testando reliquerint, ex eorum beneficio eandem accipiunt, nec onera, quae hereditati parens imposuerit, recusare possunt. Mirum in modum hocce principium, perquam magna hoc in articulo iurium nostrorum diversitatibz insignem adlatrum lucem, ex iis comprobabitur, quae ex diuersi, quo nos utimur, iuris principiis sequenti sectione exponam.

C 2

Quo

s) Vti deduxerunt MERENDA in controv. iur. ciuil. Lib. XVIII. cap. 6. § 1  
sqq. J. J. REINHARD kleine juristisch-historische Ausführungen Th. II.  
n. 14. § 7.

d) Ill. Jo. PETR. WALDECK in instit. iur. ciuil. § 714. viro celeberrimo adserit MERENDA l.c. Lib. XIII. c. 12. § 7.

Quo enim posito, quid mirandum obligatione limitum vix paciente liberos eas leges circumscriptisse, quae ius fere illimitatum de bonis suis disponendi parentibus tribuerunt? Mirumne contra iura, quae omne ius bona oneribus onerandi parentibus ademerintiisque non nisi ac liberorum consensu de iis disponere permiserint, hos ad nulla facta parentum agnoscenda obstringere?

Alteram Sphi quaestionem, quod attinet, quo usque nimurum liberi facta suscepta explere debeant? ex cuiusuis potissimum iuris dispositione diiudicanda est? Quum tamen, si argumentum ad generalia reuocaueris principia, liberi ad facta parentum praestanda non alia ac heredum ratione obstringantur, haecce proinde qualitas, nisi aliud legibus sanctum sit, non ultra sepe extendat, quam bona parentum ad liberos peruenient; vix credo liberos ad facta parentum praestanda ultra teneri, quam quatenus bona hereditaria ad eorumdem expletionem sufficiunt *u*). Nec enim alio animo liberi parentum successionem non repudiare videntur, nec credidores paterni ultra vires hereditatis actius petere possunt, nec denique liberi damno eorum locupletiores fiunt.

## S E C T I O . II.

*Obligatio liberorum heredum ad facta parentum praestanda, secundum iura, quibus utimur, speciata.*

### M E M B R . I.

*Ex factis parentum licitis.*

§ 17.

*Ordo dicendorum exponitur.*

Quibus principiis circa heredis indolem ac obligationem praemissis, iam ex cuiusuis iuris speciali indole, quatenus liberi parentibus heredes existentes ad eorundem facta praestanda teneantur? inquirem-

- u*) Quam sententiam inter alios defendant PUFENDORFF de I. N. et G. Lib. IV. cap. X. § 8. cap. XI. § 19. Lib. V. c. XII. § 12. CHRIST. DE WOLFF Institut. iuris nat. et gent. § 919. DANIEL NETTELBALDT system. element. iurispr. nat. § 722. JO. AUG. ULRICH initia philosoph. iusti s. iuris nat. § 297, quibus, delicta defuncti quoad, ius pontificium, adstipulatur (§ 44). Contrarium tuetur HÖPFNER Naturrecht § 113. n. 2. aliique.

quirendum est. Quae duplices, quum sint naturae, vel sanctione nimirum poenali prohibita vel eadem soluta ideoque licita; de singulis agendum, et primum quidem, quatenus ex factis parentum ad delictorum censem non referendis liberi heredes obligentur, exponam, remissa ad calcem periculi horum ex illorum delictis obligatione.

## DIVISIO I.

*Ex iuris naturalis principiis quid circa argumentum nostrum statuendum? disquiritur.*

## § 18.

Tractanti mihi liberorum heredum ex factis defunctorum parentum obligationem secundum iuris naturalis principia, vereor ne obfet exceptio non dari successionem secundum ius naturae, cuius proinde cogitari non posse praedicatur<sup>u)</sup>. Verum enim vero ab quaestione, huc caeteroquin nihil faciente, an nimirum vel in statu, quem vocant, ante sociali vel in sociali ex iuris naturae principiis successio possit adoptari, prorsus abstrahens; si per naturale illud intelligis, quod ex ipsa natura rei ac essentia profuit atque consequitur, haec exceptio ut mihi opponatur, neutiquam vereor. Quidquid ergo sit, quae ex successionis notione deduci possunt, hic exponenda. Fundamentum quoad, otium quum mihi § 13 iamiam fecerim, totum argumentum, his, quae sequuntur, principiis absolui potest.

Quamuis, vt hoc loco non multis deducendum opinor, parentes ad bonorum suorum vniuersitatem liberis relinquendam neutquam teneantur<sup>v)</sup>, nihil tamen impedit quo minus liberos vel in domo paterna manentes vel bona parentum diuidentes nobis singamus. Succedunt tum in eorundem locum vicecumque, quod quum vt donum considerare debeant, vna cum iisdem obligationes parentum iisdem inherentes neutquam recusare possunt, et eandem prouincusque, si plures adsunt, rata implere obstringuntur. Quibus principiis consequens mihi videtur, liberos parentum heredes ad eorum facta

## C 3

<sup>u)</sup> Quam grauerter urget JOAN. JACOB. REINHARD, in tract. *Ob und wie weit nach den natürlichen und alten teutschen Rechten die Erben schuldig seyn des Erblassers Verpflichtungen zu erfüllen?* in eiusdem *kleinen iuristischen und historischen Ausführungen*. Tom. II. nr. XIV. § 4 sqq.

<sup>v)</sup> VILLAUME l. c. p. 16 et 17.

facta praestanda nullo alio, ac eorundem bonorum possessorum respectu obstringi. Ad ea proinde exsoluenda tantum tenentur quae ex bonis a defuncto relictis dissolui possunt, nec proinde ad facta non transmissibilia, nec ad poenas corporales etc. etc.<sup>16)</sup> Si plures adfunt heredes, quilibet pro ea tantum parte tenetur, qua in defuncti locum succedit. Nec ad eas obligationes continuandas obligatos putarem, quae iuris naturalis principiis repugnant ex. c. pactum de altero laedendo etc. licet caeteroquin maxime reales, nec ad eas, quae vi metuque extortae aliae ratione nullae sunt ac inualidae. Ex eodem principio liberos heredes vix impediendos putarem, quo minus ea quae sium in praejudicium et contra eorundem ius quae situm parentes disposuerint, reuocarent atque impugnare, dummodo iis haud fiant locupletiores, vnde procul dubio, quid pro hac dispositione vel alienatione parentes accepint, quatenus adhucdum paternis in bonis existit, inue eadem versum sit, restituere debent. Hereditaria porro qualitas iure naturali adeo indelebilis non est, quod, cessis parentum bonis, liberi a factis eorundem praestandis non liberentur, quum nullo alio, quam quia bona parentum possident, nomine ad hanc obligationem teneantur. Nec denique eae iurium prorsus positiorum sanctiones, quibus liberi necessari parentum heredes scribuntur, naturalis iuris principiis innituntur. Hisce principiis quid magis conueniens, quam quod liberi heredes ultra vires hereditatis actius neutiquam obligentur? (§ 16.)

## DIVISIO II.

*Secundum iura, quibus utimur, positiva.*

CAP VT I.  
*In successione allodiali.*

§ 19.

Argumentum nostrum ad iura nostra positiva nunc reuocandum est. Obligatio liberorum heredum correlata quum sit parentum de bonis suis disponendi facultati (§ 16), haec autem pro diuersa bonorum indole quam maxime differat; bonorum, in quae succedunt, diuersorum ratio prae ceteris habenda mihi videtur w).

Notanda

16) WOLRAD BURCHARDI diff. de hereditate quadruplici s. de genere bonorum quadruplici in successionibus illistrum a se inuicem separandis, quod attinet ad exclusionem foeminarum ac obligationem successoris praestandi facta antecessoris. (Marburgi 1754.)

Notanda ergo cum primis est insignis illa Germanisque visitissima bonorum allodialium ac feudalium et, illorum rursus auctorum ac adquisitorum, differentia <sup>x)</sup>, quorum utpote suo quaeque proprio disponendi iure possidentur, auta nimirum ac feudalia satis circumscripto, adquisita autem arbitraria fere quoquis modo alienandi facultate. Quo quidem bonorum discrimine, illud in facta allodialia ac feudalia innititur.

Primum ergo agendum de successione in allodia, quae duplicitis rursus quum sint generis, eorum scilicet quae plenissimo dispositionis iure quisque possidet, et illorum, quae non libero sed reuocabili ac usufructuario paene iure possidentur; haec diuisio in duplitem euadet partitionem, prior quid obtineat ratione bonorum pleno iure possessorum, in quibus liberi praeter legitimam nullum ius quaesitum habent, eaque ex iuris romani principiis aestimanda; altera vero de bonis auitis tractans, principia Germanicarum legum exponit.

### T I T. I.

#### *Ex iuris Romani principiis.*

##### § 20.

a) *Exule, quoad hunc articulum suorum et emancipatorum discrimine, omnes liberi, qui parentibus heredes existunt, ad praestanda eorundem facta aequa obstringuntur.*

Omnes liberos in patria potestate constitutos ex iuris quiritium principiis naturales, proprios, domesticos, nativos ac necessarios parentum fuisse heredes, quibus omne ius paterna successione abstinenti denegatum, iam supra (§ 6) adumbratum est. Quibus, quid convenientius, quam eosdem per necessariam innataisque heredis qualitatem, aet alienum a patre contractum soluendi oneri eiusque creditoribus ipso facto, necessario, quin etiam inuitio fuisse obstrictos <sup>y)</sup>. Ex eodem contra principio liberos patria egressos potestate, quibus, et si volentibus, omne patri succedendi ius ademptum erat, ad eiusdem facta praestanda nulla ratione cogi posse, facili negotio est ad animaduertendum.

Sed

<sup>x)</sup> *Erbe, Eigen und Lehn.*

<sup>y)</sup> Hoc argumentum ex instituto tractauit Ill. GEORG. LUDOV. BOEHMER in diss. ad § VI. not. m laudata.

Sed haec iuris ciuilis disciplina iure Praetorio sensim sensimque immutata est. Praetori enim graue omnino et periculoseum quum visum fuerit, liberos cogi hereditatem aere alieno aliquis opprescam oneribus ipso iure nolentesque adquirere eoque nomine obligationibus paternis, vites licet hereditarias actius superantibus, obstringi; ipsis tribuit liberum arbitrium hereditatem ipso iure adquisitam derringendi adeundie *z*). Quo abstinendi beneficio *vius*, nemo heres suus pro herede habetur nec proinde ad debita paterna tenetur (*§ 6*), fin autem, eodem recusato, paterna se se immiscuerit hereditati, eodem ac extraneus quisque heres iure ad facta defuncti praestanda obligatur *a*).

Emancipatis, omni paterna successione exclusis, praetor aequo succurrendum ratus, ius tribuit eandem per bonorum possessionem consequendi, eo quidem effectu, ut heredum ciuilium vice habeantur hereditatisque commoda perinde ac incommoda ac onera suscipiant *b*). Quibus sic constitutis, quamuis additionem quoad, pristinum suos inter emancipatosque manferit discrimen, nostrum tamen quod spectat argumentum, nihil naturalius est, quam nullam superesse eorum differentiam, quum fundamentum ratione vtriusque sit idem, hereditaria nimurum qualitas, ita ergo, vt, nullo habito ad modum succedendi respectu, omnis descendens (quin heres quisque est extra-neus) cuiuscunque gradus sit sexusue ad defuncti, cui succedit, ascendentis facta praestanda, ex nouioris iuris sententia eodem plane iure teneatur.

### § 21.

*b) Cuius obligationis  
a) indoles eritur.*

Quaenam huius obligationis indoles sit ac natura? nunc inquirendum, quae quidem iuri quiritium eiusque, in successionis potissimum articulo, subtilitati propria, et caeteris, plerisque tantum non omnibus, gentibus simpliciora sequentibus principia, incognita est.

Heres enim ex huius iuris disciplina non tam in bona defuncti, quam in eiusdem potius personam vicemque succedit illamque tam arte induit, ut cum defuncto pro una profus eademque persona ha-beatur

*z) I. 57. D. de A. v. O. H.*

*a) I. 11. D. de diuers. temp. praescript. I. 14. C. de R. V. I. 7. C. de liber. cauf. I. 31. D. eod. I. 7. C. de negot. gest. I. 24. C. de donat. Nov. 48. praeſ.*

*b) I. 2. I. 3. D. de B. P.*

beatur et cum eodem aequo censeatur iure. Omnes ergo omnino defuncti obligationes, morte eius quatenus non sint extinctae, in heredem ita transeunt, ut hereditatem scindere, alteram partem retinere, alteram repudiare nequeat, quum sine stultitiae suspicione defuncti imaginem pro parte dimittere non licet *c*). Haec propterea hereditaria qualitas heredi non propter bona ab defuncto in se transmissa adquiritur ac vindicatur, sed omnibus quasi heredis tam irreuocabiliter ac indelebiliter inheret, ut qui semel heres nullo modo possit efficere, quo destinat esse heres, si vel maxime linquere velit ac cedere bona hereditaria *d*). Quodsi ergo eadem bona ob onera hereditaria exsoluenta, exsoluta sint ac exhausta, est tamen manet que semper heres eoque nomine ad continuandam debitorum hereditariorum exsolutionem obligatus esse neutiquam definit, sed eadem ex proprio peculio ferre debet. Quum ergo per omnia loco defuncti habeatur, ad eiusdem facta agnoscenda a momento mortis defuncti obstringitur, licet hereditas reapse multum post tempus adita sit *e*), et quidem defuncti obligationes eodem statu ac vi in heredem transeunt, sic ut defuncti obligatio in herede ita continuetur, ut nisi priori alia obligatio accesserit personalis v. c. iuramentum, cuius quippe reatus, utpote personalis, in heredem non transmittitur, huius obligatio aequa fortis sit. Neque tamen prorsus desunt rationes, quibus vel defuncti obligatio in persona heredis augetur v. c. ob cessans beneficium, quod defuncto competebat, competentiae *f*), vel quibus heres melioris ac defunctus habeatur conditionis eique plus permittatur *g*). Nec denique obligatio heredis ex factis defuncti in persona heredum ulteriorum minuitur *h*).

## § 22.

*c*) Cfr. MERRENDA l. c. Lib. XVIII. c. 6. § 8. l. 1. l. 2. l. 10. l. 38. D. de A. v. O. H. l. 20. C. de iure deliber. l. vn. § 10. C. de caducis tollendis.

*d*) l. 88. D. de heredib. initit. l. 7. § 10. D. de Maior. XXV. annis l. 8. D. de A. v. O. H. l. 2. C. de Legat. l. 3. l. 4. C. de repud. hered. l. 77. D. de A. v. O. H. l. 1. § 10. D. de minoribus. Beneficium restitutioinis in integrum rarissime admittitur t. t. C. si minor ab hereditate se absit.

*e*) l. 54. D. de A. v. O. H. Ne tamen heres ante nonum diem ex defuncti debitis conueniatur, cantum est Nouella 115. c. 5. § 1. Cfr. REINHARTH ad Christin. decisiones Vol. I. obs. 48.

*f*) l. 84. D. ad Legem Falcid. l. 7. D. de rebus auct. iudicis possidend.

*g*) l. fin. C. de euict. l. 51. § 3. D. eod.

*h*) l. 65. l. 75. l. 170. D. de V. S. l. 7. § 2. de A. v. O. H.

## § 22.

β) limites exponuntur.

Quum secundum iuris quiritium principia tam illimitata de bonis suis suave hereditate disponendi facultate patrē familias quisque gaudet, vt, modo ne grauetur ea bonorum pars liberis a L. L. adsignata, prouti disposuisset, ita ius esset, nec ergo liberi parentibus aliter ac eorum beneficio succederent; liberos heredes non mitioris ac heredes extraneos haberi conditionis ac ad omnia parentum facta p̄sta, dummodo legitima iis salua maneat testa, obstringi haud difficulter est ad animaduertendum. Sed quid, ipsa haec legitima, hereditatis quippe pars, non intelligitur, nisi deducto prius hereditati inhaerente aere alieno, ita vt reapse etiam quoad legitimam liberi in censum vocentur. Quid ergo mirandum, quum omnes heredes defuncti semper beneficio succedant, eosdem ad omnia eius facta agnoscenda teneri.

Nec profecto haec liberorum heredum obligatio aliis circumscripta est limitibus, ac iis, quibus ipsius defuncti obligatio continebatur.

Defuncti facta, quum vi representationis vt propria heredis facta reputentur, ei nequam licet eadem impugnare, si vel maxime suum in praeciducium vergerint, quum heredi aequae ac defuncto ipsi, exceptio doli obmoueretur *k)*, quia vtrumque patrimonium tam inseparabiliter confusum est, vt amplius dici nequeat, quodnam sit ex patrimonio defuncti quodue ad proprium heredis peculum pertineat.

Quamvis si plures sunt coheredes, omnes unam eamdemque defuncti sustineant personam eiusque nomine in solidum etiam ultra vires hereditatis actius teneantur, singuli tamen, quum pro sua quisque hereditaria portione locum defuncti obtineat, pro hac tantum rata ex eiusdem factis tenentur, in reliquis autem pro extraneis habentur *l)*, nec proinde pro hisce, vt sic dicam, non representatis partibus ad facta defuncti obstringuntur, nisi substrata materia aliud iubeat, v. c. obligatio defuncti individua sit, ex qua nimirum singuli coheredes in solidum iure meritoque conueniuntur.

Neque

*k)* I. 14. C. de R. V. I. 14. C. de evictio. I. 24. C. de donat. I. 7. C. de restit. milit. I. 3. C. de rebus alien. non alienand. I. 1. pr. § 1. D. de except. rei vend. REINHARTH ad Christ. Vol. I. Observ. 52. HERM. BECKER dī. an liberi alienationem bonorum maternorum a patre factam reuocare possint, si heredes patris sint facti. (Rostochii 1759.)

*l)* I. 2. C. de hered. act. I. 2. C. de eviction. I. 10. C. de iure delib. I. 9. pr. D. de vi et vi armat. I. 192. D. de R. I. t. t. C. si unus ex pluribus heredibus.

200. 1. 100. 1.

Neque heres tenetur ad ea defuncti facta, quae, vti Praetor, sunt aduersus leges, plebiscita, senatus consulta ac edicta principum, eoque nomine nulla atque inualida, vtpote quae ne ipsum quidem defunctum tenebant, sed, ad ea implenda, quum nullum detur remedium, iuridico in sensu pro non existentibus habentur *m*). Aequo ex facto defuncti imperfecto vel tali, quod ipse, si viueret, defunctus reuocare potuisset, nemo heres tenetur, nisi ipsa defuncti morte corroboratur ac confirmatur, v. c. donatio inter virum et vxorem *n*).

Quibus ex principiis patet heredem omnibus fere defuncti obligari factis. Quatenus autem agnita senel defunctorum parentum facta liberi praefatae debeant? quaestio est iure Romano paullo durius ac naturalibus principiis decisiva. Quum enim hereditaria qualitas et ex eadem profluens facta antecessoris praefandi obligatio heredi non respectu bonorum inhaereat, qui, illis etiam relictis, heres nihilominus manet; consequitur hanc obligationem secundum bonorum hereditariorum quantitatem neutquam definiri, heredem proinde ad facta defuncti praefanda, nullo habito ad bona respectu iisque vel deficientibus vel pro oneribus hereditarii iamiam exhaustis, obstringi nec non ad factorum defuncti explicationem, ex suis etiam propriis bonis vt concurrat, teneri *o*). Ad reddendas singularis huius et a caeteris plerisque iuribus recedentis sanctionis rationes neque ad metum subductionis *p*), neque ad utilitatis publicae *q*) aliasque rationes recurrere necesse est, quum Romanae heredis indoli ac naturae maxime consentanea sit ac conueniens. Neque enim obstat, quod defunctus, qui tamen creditoribus ultra possibile i. e. ultra vires patrimonii tractius, non tenebatur, nec maiorem fortiorēm in heredem transmittere potuisset obligationem, quam qua ipse obstrictus fuerit. Nam, heres quum non tam in bona, quam in personam potius defuncti succedat, isque, id quod nemo non affirmabit, obligatus sit ad quaecunque sua facta praefanda nec sua temporaria eaque personali inopia

D 2

hac

*m*) I. 7. C. de liberali caus. I. 3. C. de praed. et aliis rebus minor. I. 3. I. 4.  
C. de pact. conuent. super dote. I. 7. C. de agricolis.

*n*) I. 4. D. pro donato Nr. 162. cap. I.

*o*) I. 8. D. de A. v. O. H. I. fin. § fin. C. de iure deliberand.

*p*) Vti nonnulli concludunt ex I. 7. C. de bonis proscriptor. quorum tamen opinionem sub censuram vocat ac confusat MERENDA I. c. lib. XVIII. cap. 40. § 5.

*q*) MERENDA et REINHARD I. ad § XV. not. 2. cit.

hac ab obligatione liberetur, sed ad tempus tantum excusetur, donec hoc nimirum impedimentum defecerit, id quod reapse accidit, si confuso heredis ac defuncti patrimonio, heredis diuitiae superuenerint; haec inopiae exceptio, defuncto quidem competens at in heredis persona exstincta, nec amplius attenditur *r*), sed heres quoque propriae ipsius vires sufficient, easdem in debitorum defuncti, quem representat, exsolutionem vertere debet.

Concesso autem a Gordiano Imp. militibus beneficio hereditate ob grande aes alienum damnoſa ſe abdicandi *s*), et introducto ab Justiniano deliberandi beneficio eoque insufficiens viſo, idem ille Cæſar, humanum ratus, ne heredum bona a defuncti creditoribus inquietarentur, fed ut heres hereditatem ſine periculo propriique patrimonii iactura poffideret; eidem induxit beneficium inuentarii, vi cuius in tantum ſolummodo heres tenetur, quantum in hereditate inuenit *t*). Fallunt autem et falluntur, qui huius inuentarii effectus eousque extendunt, vt heredi bonis hereditariis totaque ſe hereditate abdicandi ius confeſſum fit *u*). Nullo, ne in minimo quidem articulo, heredis obligatio hocce per inuentarium immutata eſt, praeterquam quod ope eius utrumque patrimonium maneat distinctum nec heres in ſuo proprio defunctum repræfentet ac ex eodem defuncti facta praefare teneatur. Heres contra hoc beneficio non vifus, de ſuo quoque tenetur et tam moleſto oneri ſponte ſe ſuppoſuiffie cenſetur. *v*)

Quae autem omnia, quam non in ſpecie ad liberorum, ſed ad omnium potius heredum obligationem ſpectent; haec principia adumbrare, ſufficere viſum mihi eſt *w*).

## TIT.

*r*) 1. 8. C. ſoluto matrimon. verb. at quum eius heredes etc. 1. 10. C. de iure delib. verb. nec inopia patris etc. MERENDA l. c. Lib. XVIII. cap. 40. § 6 et 7.

*s*) Cuius meminit § 5. I. de heredum qualitate.

*t*) 1. 22. C. de iure deliberandi.

*u*) Quos in rectam viam renocat J. T. REINHARTH in obſerv. ad Christin. deſcif. Vol. IV. Obs. 34.

*v*) 1. 22. § 12. C. de iure deliber. Nov. 1. cap. 2. § 2.

*w*) Vnicum eumque per quam ſingularem, quem reperire potui, caſum, quo liberi heredes fortiori obligatione et ad plus ac extranei heredes obſtringuntur, vide, ſi lubet, in l. 9 et l. 11. D. de pollicitat.

## T I T. II.

*Ex principiis iuris canonici.*

## § 23.

Ius Canonicum, quum nihil nec de iure parentum circa bonorum dispositionem, nec de beneficio, quo liberi parentibus succedunt, statuat, quid mirandum, illud nostrum argumentum sicco fere pede praeterire. Neque tamen desunt rationes, quibus Pontifices et hic iuris civilis principia comprobasse, sustineri possit.

Filium namque parentum heredem eorundem facta ut praestet, ne paterna fese reddat successione indignum et hereditatis emolumento priuetur, cuius recusat supportare onera, pontificiis cautum est legibus x).

## T I T. III.

*Ex Principiis Iuris Germanici.*

## § 24.

i) *Sancta Iuris Germanici antiqui circa hoc argumentum proponuntur:*  
a) *ex antiquissimi temporis monumentis.*

Antequam, quae hodienum obtineant, principia exponam, operae pretium non certe non erit, antiquarum Germaniae legum circa liberorum paternis ex factis obligationem, sententiam, ex iis, quae inuida aetas ad nos usque transmisit, fatis paucis maiorum monumentis eruere ac proponere y).

Antiquissimam rerum memoriam quodsi repetamus, insignis illa bonorum aitorum ac adquisitorum quam maxime notanda est distinctio, licet eamdem, nostrum quoad argumentum, disertis legum verbis, seruatam haud inuenies. Bona namque auita quod attinet, eorum intuitu parentes liberos obligare non potuerunt z), quin etiam omnis eorumdem alienatio absque heredium (quorum adpellatione liberi

D 3

plerum-

x) Sunt verba pontificis in cap. 6. X. de voto, conf. c. 4. C. 25. qu. 2. c. 3. X. de sent. et re iudic. cap. 1. X. de solutionibus. (conf. Leg. § 44. cit.)

y) Eadem exposuit Jo. JAC. REINHARD in tractatu § XVIII. not. u. cit.

z) DANIEL NETTELBLADT diss. de successore ex pacto et prouidentia maiorum ad facta ultimi defuncti, licet eiusdem haeres sit, non obligato (Halae 1764.) Cap. II. § 3.

plerumque veniunt) ipso iure nulla erat ac inualida *a)* et illegitima defuncti facta praestare nemo heres tenebatur *b)*.

Contraria autem intuitu bonorum hereditariorum vel adquisitorum maioribus nostris fuit sententia, quum circa eadem libere disponere cuique adquirenti licuerit. Pleraque ergo Germanicarum gentium leges liberos ad facta parentum, quoad bona ab iisdem adquisita, praestanda obstringunt *c)*. Quibus ex monumentis, licet ipsa haecce obligatio, extra dubium sit posita *d)*; mirifice tamen ab indole romana differt. Naturalibus namque principiis conuenienter hereditaria qualitas non tam personae, quam bonis potius inhaerebat, ita ut heredi licuerit hereditatem cedendo vel parentilla, ut Leges, feso abdicando, hoc onere, debita nimirum haereditaria solvendi, se liberare *e)*, neque eodem ex principio ultra vires hereditatis actius ad illud subeundum cogeretur *f)*. Heres enim hereditario-

*a)* REINHARD I. c. § 26.

*b)* Videsis *Leges Longobard. Luidprand.* Lib. VI. cap. 114 et 349.

*c)* Leges facientes sunt:

*Leges Ripuariorum* Tit. 59. § 6. Tit. 67. § 1. (Georgisch pag. 173 et 177.)

*Leges Burgundionum* Tit. 65. § 2. (apud eum. p. 384.)

*Leges Wifigothorum* Lib. VII. Tit. 5. § 8. Lib. V. Tit. VI. § 6. (ibid. pag. 2067 et 2006.)

*Leges Alamannorum* Tit. II. § 2.

*Leges Baiuvariorum* Tit. I. § 2. (eod. p. 255 in f.)

*Lex Salica antiquior* Tit. LXI. (pag. 119.)

*Editum Rotharis Longobardor. Regis* cap. 367. cap. 369. (apud eumdem p. 1016.)

*Leges Anglionum et Werinorum* Tit. VI. § 5. (ibid. p. 449.) Cfr. POLACK system. iur. antiq. Germ. Lib. II. Cap. VIII. § 6.

*Ius Cimbricorum* Lib. I. cap. 26. § 1. (apud DE WESTPHAL in monument. inedit. rerum Cimbr. et Megapol. Tom. IV. pag. 1726.)

*Capitularia regum francorum* Lib. VI. cap. 349. (Georgisch p. 1582.) Lib. VII. cap. 325 et 326. (eod. p. 1695.)

*d)* Quamvis eamdem in dubium vocauerit Estor in der teutschen Rechtsgelehrheit Parte II. § 3104, quem vero confutauit NETTELBLADT in diff. cit. Cap. II. § 2. in not.

*e)* Cfr. ex. gr. *Leges Burgund.* Tit. 65. *Lex Wifigothorum* Lib. VII. Tit. 8.

*f)* REINHARD I. c. § 9. HEINECCIUS Element. Iur. German. Lib. II. Tit. X. § 228 sqq. *Leg. Wifigothor.* Lib. V. Tit. VI. Lex 6. in f. *Editum Theodor.* cap. 88. *Editum Rotharis* I. not. c. cit. vid. PAUL. CANZIANI leges Barbarorum Tom. I. p. 95. Exceptionem quidam subiungunt ratione Ripuariorum et Baiuvariorum. conf. HEINECCIUS I. c. § 298.

tiorum bonorum potius administrator videtur, non arcta hac Romani Iuris repreäsentatione obstriclus. Nec aliae quoque eaeque minus generales desunt iuris antiqui dispositiones, in quibus vel ipsae Germaniae gentes eodem iure non vtebantur. Sic nonnullarum legibus ex defuncti fideiūfione nemo heres tenebatur g) etc. etc. nimis omnes specialiores, quam quae hoc loco recenseantur h).

## § 25.

b) *ex medii aei codicibus et documentis.*

Eamdem inter bona auita et adquisita distinctionem medii aei codices quoque seruarunt. Quum enim primum fuerit Germanorum principium, vt in libera dispositione bona quisque non alia habeat, quam quorum ipse primus erat adquirens, nec proinde bona a maiori bus iamiam comparata liberae cuiusvis possessoris dispositioni committantur, horumque bonorum alienatio vel de iisdem dispositio per quam difficilis semper habeatur; parentes de iis non alio ac liberorum, quippe quibus in eadem ius fuit quaesitum, consensu disponere potuerunt i), quem liberis denegare omnino licuerit k), quo autem deficiente omnia parentum facta ipso iure nulla erant nec liberos obstringere potuerunt l).

Secus

g) v. c. *Leges Burgund.* Tit. 82. § 2. secus secundum *Ius Longob.* *Edit. Regis Rotharis* cap. 367. et *capitul. incerti anni apud Georgisch* p. 498. Cfr. E. I. F. MANTZEL f. Frelen, diss. de *nexus heredum ex fideiūfione defuncti (Rothochii 1734.) Cap. II.* E. F. DE PUFENDORFF Obs. iur. vniuers. Tom. IV. obi. 80. In *Megapoli adhucum heredes ex fideiūfione defuncti non obligantur, nisi eorumdem mentio expreſſe sit facta, vi reuersalium provincialium de 1621.* § 25. cfr. E. I. F. MANTZEL *ius mecklenb.* et *lubencis.* illustr. P. I. iud. 53.

h) Quas habet REINHARD I. saepe cit.

i) *Ius Provinciale Saxon.* Lib. I. Art. 52. I. P. ALEM (ex edit. Senkenb.) cap. 312. WEICHBILD Art. 20 et 21. *In Iustitia lubecensis de 1158.* § 2. (Caput de WESTPHAL in monum. inedit. Tom. III. p. 622.) Jo. SCHILTER in comment. ad *ius feud.* Alam. cap. 64. § 5. pag. 328. REINHARD I. c. § 26. p. 389. ESTOR teutsche Rechtsgelahrheit III. Theil II. Buch 46 *Hauptf.* § 1856. p. 893 iqq. Vnde liberorum consensu opinione necessitatis temper adhiberi solebat. Cfr. VALENT. FERDINAND. DE GUDENUS codex diplomat. Tom. I. pag. 102. 140. 154. 186. 316. 482. 558 etc., nec non HALTAUS glossarium germanicum mediæ aei voc. Erbgut.

k) HALTAUS I. c. p. 364. Kaiserrecht Lib. II. Cap. XI.

l) Huiusmodi igitur facta impugnare liberi potuerunt; cuius limpingnationis illustre exemplum inter alia videlicet in Ottonis III. diplomate de 996 in LÜNIG

Secus vero ratione bonorum, quae parentes ipsi conquisuerunt, in quibus quippe quum liberrima iisdem disponendi sit facultas, illorum intuitu consensu liberorum, ut iisdem obligarentur, neutquam opus erat, quum potius ad omnia parentum facta inde praestanda obstringantur *m*), quamuis hoc etiam in articulo hanc obligationem ne ex iuris Romani principiis decidas, caendum sit, heres quippe, quum non nisi in quantum vires hereditatis actiuae patientur, teneatur *n*) nec porro ex fideiussione *o*) alioue defuncti facto nullo ac inualido obstringatur *p*).

## § 26.

2) *Iuris hodierni principia proferuntur.*

Sic maiores censuerunt. Supereft iam, vt quatenus haec principia adhucdum valeant suoue gradu depulsa sint, exponam. Iuribus enim peregrinis, Romano nimirum ac Canonico, in Germaniam inrumpentibus omnis rerum facies admodum immutata est. Quod nostro quoque in arguento conspicuum est. Summa imis misci, successio in bona auita ex Iuris Romani principiis decidi ac liberi se non maiorum, sed parentum beneficio, in eadem succedere persuaderi coeperunt,

LÜNIG R. A. specileg. eccles. cont. I. p. 1171 et de 1230 in BÜTKENS ad Lib. IV. rerum brabantiar. p. 225. Sed sequiori aetate hac de re laicorum cum clericis (quorum quippe suggestionibus inque fauorem parentes saepissime absque liberorum consensu bona auita alienarunt) frequentes oriebantur contentiones, et clerici, hanc doctrinam, omnibus cauillationum ac imprecationum modis ac moliminiibus prosequentes, efficerunt, quod filii, licet ius suum vindicare conati fuerint, ob reuerentiam vel amorem, vt verba erant, timoremue dei et pro parentum aeterna memoria, hac impugnatione plerumque desisterint, cuius rei exempla larga manu affert HALTAUS l. c. p. 372 - 75.

*m)* WEICHBILD Art. 20. I. P. A. cap. 260. § 1. cap. 261. § 2. cap. 406. (ex edit. Senkenberg.) I. P. S. Lib. I. Art. 6. Art. 9. (ex edit. Ludov.) Kaiserrecht Lib. II. cap. 49. Bayerisches Landrecht (de 1344) cap. 96. Iustitia Lubencensi ciuitati 1158 ab Henrico Leone concessa § 1. (DE WESTPHAL l. c. Tom. III. p. 622.) Egregie hoc illustratur diplomate de 1306, quod habet GUDENUS in codice diplomat. Tom. III. pag. 36.

*n)* *I. Feud. Alem.* cap. 262. (Senkenberg corp. iur. Germ. mediævi Tom. II. p. 312.) *I. P. Sax.* Lib. I. Art. 6.

*o)* I. P. Al. cap. 297. § 5. cap. 331. § 4. cfr. § anteced. not. g.

*p)* Cfr. ex. gr. *I. P. S.* Lib. I. Art. 52. nec filius ab impugnandis patris factis, quibus ius ipsi quaeſitum laeditur, arcendus. Kaiserrecht Lib. II. cap. 103. Bayerisches Landrecht (de 1344) cap. 116.

perunt; quum sat multi Germaniae ciues, inque iis praecipue nobilitas tam inferior quam superior, infelici hac mixtura iurium ac confusione permoti, vltiori legum peregrinarum inruptioni oblite-  
runt. Quae iura peregrina quum itaque non eodem vbique parque felici successu rerum summa sint potita, sed eorum usus pro diuersis personarum ordinibus perquam sit varius; si hodierna iuris Germanici circa hanc liberorum obligationem principia quaeramus, fieri plane nequit, quod argumentum nostrum pro diuersis hisce ordinibus non tractemus q).

## § 27.

*AA) quoad Nobilium ordinem.  
a) intuitu successionis in bona acquista.*

Exotica principia quum nemini magis infusa essent ac odiosa quam ordini equestri ac illustri; grauiter, quantum potuit, sese iisdem opposuit et multa post molimina ius moresque maiorum conseruavit.

Sed, nisi bona feudalia ac auita exceperis, bona nobilium pleraque adquisitorum censu habentur, in quibus propterea parentibus liberum ius disponendi competit, nec, vt iuris Romani principiis per totum mos geratur, liberorum aliud, quam legitimae, cogitatur ius quaeſitum, ita vt in eadem nonni ac parentum beneficio succedant et proinde facta patris haec *bona vulgaria* concernentia (*Erbſchaffts-ſchulden*) secundum quae Titulo I. exposita sunt, principia, praestare teneantur r).

## § 28.

*b) quoad bona auita, ubi simul agitur de successione ex p. et pr. mai., vi  
cuius filii succedentes  
c) ad facta parentum praefenda non tenentur.*

Altera bonorum allodialium nobilitati proprietum species, *bona* sunt *auita* seu *flemmatica*, a comuni plerumque adſcendente ad perennem familiae splendorem perpetuamque eius conseruationem dicata. Omnia ergo hancce bonorum speciem quae concernunt iura ac

q) Ill. Jo. STEPH. PÜTTER in diff. de normis decidendi famil. illuſtr. contro-  
vers. § 12.

r) Jo. HENR. CHRIST. DE SELCHOW Element. Iur. Germanici (ex Edit.  
nouiss.) § 526 et 531. WOLRAD. BURCHARDI de hereditate quadruplici  
etc. Cap. V. § 67 et 69 fqq.

ac obligationes, ex bonorum fine ac destinatione, familiae nimirum eiusque splendoris conseruatione, praecipue sunt diiudicanda. Iura moresque maiorum in iis praecipue seruati sunt, quippe quibus idem erat mens finisque. Secundum proinde ordinem a primo adquirente, libero bonorum moderatore, praescriptum haec bona possident neutrquam licet contra hunc finem quidquid disponere seu facere, sed farta semper eadem tectaque reliquis a primo adquirente descendentibus restituere tenetur, quippe quibus ad eadem ius idem est quae- situm ac innatum, quod ab omni cuiusuis possessoris arbitrio penitus exemptum est, nec ergo ab temporario possessore vlo modo minui, onerari vel tolli potest.

Quicunque ergo, ad haec bona auita vocatur, non ex beneficio vltimi defuncti, cui nullum nimirum ius successionem aliis tribuendi, sed ab eodem potius haud dependenter, ex pacto ac prouidentia maiorum succedit, si vel maxime eadem ex manibus vltimi defuncti eidem restituantur. Nec proinde inter successorem et vltimum pos- sessorem (nisi primus simul sit adquirens) vllus adeit nexus vllare obligationis ratio ac causa. Est namque tota successio debitum ab vltimo possessore successori eadem relinquendum restituendumque con- ditione ac causa, qua is illam ab ipso primo adquirente vel ab alia intermedia persona acceperit. Ius cuiusvis possessoris reuocabile ita- que est ac temporarium; quaecunque egerit contraxeritue eiusdem iuris habentur, quam ipsum contrahentis ius, reuocabile nimirum sunt atque vna cum ipso constitutis iure corrunt ac extinguntur.

Quibus praefabricatis prono alueo consequitur, successorem ex pacto et prouidentia maiorum neque vltimo bonorum possessori neque ex eiusdem beneficio sed primo potius adquirenti et quidem ex tunc, hoc est secundum illum bonorum statum succedere, in quo, quum primus adquirens morte est funetus, bona fuere, neque ergo vltimum defunctum repraesentare. Hilce principiis nihil magis contentaneum est, quam eiusmodi successorem ad facta (*Stamm Schulden*) vltimi pos- sessoris praestanda nequidquam teneri s), sed quidquid suum in praejudicium defunctus constituerit, impugnare posse ac reuocare et ne

s) III. Jo. STEPH. PÜTTER in primis lineis iuris priuati principum § 13 et comment. de iure foeminarum adspirandi ad fideicommiss. famil. Cap. I. § VIII. DANIEL NETTELBLADT diss. cit. Cap. I. § 4. Cap. II. § 3. DE SELCHOW § 434 et 531 ibiq. cit. BURCHARDI Cap. IV. § 62 et 64. Cfr. etiam JO. FERD. WILH. BRANDT diss. de natura bonorum aitorum vulgo *Stamngither* (Marb. 1746.) Cap. II. § 48. p. 52.

ne ad pretium quidem restituendum obligari, nisi ad illud alio ex capite obstringatur v. c. ex in rem versione vel si pretium reapse in bonis adhucdum existat vel simul defuncti sit heres allodialis etc. etc.

## § 29.

*β) nisi ad eadem speciali ex fundamento obstringantur.*

Quamvis successorem ex p. et pr. maiorum a factis ultimi defuncti praestandis solutum esse, genuinis iuris Germanici principiis maxime sit consentaneum; adferunt tamen, quibus ad eadem agnoscenda obstringatur, rationes, quarum alias genuinae sunt, alias spuria ideoque, si vera ac fundata quaeramus principia, et foris et systematis exstirpanda.

Licet in harum rationum indolem inquirere, longe extra harum pagellarum fines sit positum *t*); paucis tamen monendum ad haec fundamenta specialia eas obligationis causas generatim esse referendas, quibus liberi, et si parentum heredes non sint facti, ad eorumdem facta praestanda obstringuntur (§ 4 et 12). Quorundam ergo consensus, quo, quatenus consenserit, obligatur (an vero consentientis descendentes, negandum putarem); secundum fundamentum speciale versione in rem continetur, qua fundatur obligatio successoris ad ea defuncti facta praestanda, quae in conservationem utilitatemque bonorum aitorum versa sunt, siue ea inde augeantur meliorisue facta sint conditionis, siue onera ex iisdem soluenda per haecce facta possunt. Neque vero versio in utilitatem defuncti personali sufficiens obligationis ratio videtur, sicuti iisdem ex principiis ea defuncti facta, quibus folius successoris utilitas promota est, neminem, quam ipsum successorem, neutquam vero eius descendentes (nisi, vt per se patet, eorumdem quoque in commodum vergant) Art. 52; quibus, quae adstipulantur, non defunt iura territorialia ex c. Reuerfales provinciales Megapolit. de 1621 Art. 8. (in LUNIG R. A. Tom. VIII. pag. 521.)

E 2

adqui-

*t*) Eas prolixe perpendit NETTELBLADT l. c. Cap. I. § 4-8. et Cap. II. §§ 3.

*x)* Cfr. Jo. ULRIC. DE CRAMER in opusculo. Tom. III. nr. 14.

*y)* Vid. iura maiorum ad § 25. not. i cit. et prae caeteris Ius Prov. Saxon. Art. 52; quibus, quae adstipulantur, non defunt iura territorialia ex c. Reuerfales provinciales Megapolit. de 1621 Art. 8. (in LUNIG R. A. Tom. VIII. pag. 521.)

adquirens, plane immutari, per se patere reor, quippe quod filius eius beneficio reuera succedit.

Sunt praetereaque spuriae rationes, ex quibus nonnulli hanc oblicationem adstruere admittantur, sed quae fat leuioribus fundantur principiis. Sic successorex ex p. et pr. maiorum ad facta vltimi defuncti obligatum statuunt, si simul eiusdem heres allodialis factus est. Sed huic fententiae subfcribendum esse non reor *x*). Nec enim iuris Romani principia ad haec iuris penitus Germanici Romanisque incognita instituta adplicari possunt, sed ex eorum potius propriis principiis sunt aestimanda. Bona namque a defuncto relicta duplicitis plane sunt generis, duplex adest hereditas; altera communis ascendentis, altera vltimi defuncti, successor in vtramque, duplarem reuera personam repraefentat, quum diuersitas bonorum per fortuitum casum, quod vtraque successio eidem per eamdem obueniat personam, haudquaquam tollatur, sed vtriusque potius patrimonium maneat distinctum. Neque ergo successor, facta, quae alterum concernunt patrimonium, ex altero praefastare tenetur, quum secundum ipsa iuris Romani principia heres fideicommissarius, qui simul fiduciarii heredis factus est heres, ad facta eiusdem intuitu fideicommissi ex vulgari hereditate praefstanda non obstringatur *a*). Facta defuncti bona auta concernentia aequa manent nulla et inualida, nec queri possunt defuncti creditores, sua quippe culpa quum damnum patientur. Sed longe alia est questio, an nimirum successor ex p. et pr. m., qui simul defuncti heres existit, creditoribus eiusdem, contra quos ius suum ex propria persona vindicat, ad evictiōnēm praefstandam teneatur? quae quidem fententia, ne cum damno alterius heres fiat locupletior et ne pretium sine causa possideat, probanda omnino mihi videtur *b*), licet vel maxime illud defunctus dilapidauerit, quum heredis obligatio ad quantitatēm bonorum a defuncto transmissorum nullum habeat respectum.

Multo

*x) Perill. PÜTTERUS in comment. ad § antec. laud. cap. V. § 54. coroll. 3.*

*NETTELBLAIDT l. c. cap. I. § 11. Cap. 2. § 5 REINHARD l. c. § 30. BERNH. GOTTL. HULDR. HELLFELD in diff. de fideicom. familiar. illustr. eorumq. fi alienata sunt, revocatione. (Jense 1779) § 58.*

*a) Ut ex instituto probatum dedit NETTELBLAIDT l. c. cap. III. Sect. I. § 7. 8 - 12. (cfr. l. 69. § 3 D. de legat. l. 3. §. 3 sq. D. communia de legatis.)*

*b) DE CRAMER obs. iur. vniu. Tom. I. obs. 3. § 7. 8.*

Multo minus principia § 28. exposita immutari putarem, si successor ex p. et pr. m. vltimi possessoris filius est c). Quonam enim fundamento maior filii quam agnati inniteretur obligatio, quum ille aequae ac agnatus in bona auita nec beneficio patris nec eidem succedat, nec ex sola filii qualitate haec obligatio deduci possit d), et omnis sane iuris imperfecti ratio ad operandam duram iuris quaeſiti laeſiones non impugnandi obligationem fatis insufficiens sit. Absurdum mehercle est, hac obligatione filium ex ea iuris peregrini ratione obſtringere, quod vel hereditas pro parte adiri, pro parte repudiari nequeat vel filio haud liceat, repudiata patris hereditate, in bona auita ex maiorum prouidentia quaeſita succedere; quum primum argumentum confutato iamiam principio innitur, quod bona stemmatica et paterna ſuccesſio vna fit eademque hereditas, ac praeterea ad agnatos, si illud adoptare placet, eodem iure extendi debeat, et reuera iuris Romani principiis neutiquam conueniat; ſecunda autem ratio diſpofitio fit mere particularis iuris exoticæ, ad stemmatica bona neutiquam adplicandi e). Permittenda itaque omnino filio est electio et alterutrius patrimonii repudiatio hunc in finem, vt filius ab obligatione ad facta defuncti ex repudiata hereditate praestanda omni iure libetur.

§ 30.  
BB) quoad ciuium ordinem.

Iuris Romani principia quum ciuium indoli nec adeo, quam nobilitati aduersentur, quippe quod ciuicis non maxima illa splendoris familie conſeruandi cura, nec ciues eodem ſemper felici ac proſpero euentu contra ingliftentem iuris peregrini molem manus contulerint; factum est, vt prouti in genere maior iuris peregrini uſus in ciuico fit ac equeſtri in ordine, ita etiam, exule mox plerisque tantum non

E 3

omnibus

c) NETTELBLADT I. c. Cap. I. § 12. Cap. II. § 5. DE CRAMER opusc. T. III. KNIPSCHILD de fideicommissi. famili. Cap. II. nr. 394 fqq. J. H. BOEHMER Consult. Tom. I. part. 2. resp. 87. p. 419.

d) Und woher soll agnatus vel collateralis melioris conditionis seyn? etiann darum, daß filius die facio bezahlen müsse? Sic Jo. ULR. L.B. DE CRAMER in Eiusd. *Wetzlarichen Nebenſtunden*, Th. 21. Nr. 12. § 5.

e) De hac iuria Longobardici applicatione cfr. NETTELBLADT I. c. cap. II. § 4. G. A. STRUVE S. I. F. cap. IX. § 11. cap. XIII. § 16 in fin. et nr. 6. Contraria tamen ſententiam in Saxonia obtinere attestatur Jo. FRID. KOBIUS (hodie Kobe de Koppenfels) in tract. de pecunia mutuat. tuto collocand. (Götting.) § 59. p. 110.

omnibus in urbibus bonorum auctorum et nouiter adquisitorum discrimine et posito liberiore rerum fuarum arbitrio (cui consequens erat quod liberi se ex parentum beneficio succedere conuinci coepirint), cuium successio et inde oriens liberorum ad facta parentum praestanda obligatio fere omnis ex iuris communis peregrini principiis decidatur *f*), nisi ex speciali ratione aliud, idque semper probandum, obtineat. Sic iis in locis, vbi communio bonorum coniugalis viget, liberi coniugis praedefuncti eamdem cum superstite continuant, et defuncti parentis in locum quem succedant, perinde habentur ac defunctus eoque nomine ad facta eiusdem praestanda tenentur *g*). Iura quoque maiorum (*§ 25.*) iis in ciuitatibus, vbi discriminis inter bona adquista ac hereditaria adhucdum obtinet, seruata sunt et pro hac bonorum differentia liberorum ad facta parentum praestanda obligatio ex principiis (*§ cit.*) expositis determinatur *h*). Neque aliae defunt dispositiones, nimis vero speciales, quam quas hoc loco recenseam, et nonnisi ex singularium urbium statutis repetenda.

## § 31.

CC) *quoad rusticos.*

Nostrum argumentum si ad rusticorum ordinem reuocamus, obligatio liberorum maxime et mirum in modum differt pro iuris diuersitate, quo defuncti parentes circa bona, in quae liberi succedunt, rustica pollebant; vnde omnis questio secundum cuiusvis prouinciae statuta moresque vnicce decidenda est *i*).

## C A P V T II.

*De obligatione liberorum ad facta parentum praestanda in successione feudalii.*

## T I T U L V S I.

*Ex principiis iuris feudalis Germanici.*

## § 32.

Ante vero, quam, quid circa successionem feudalem hodierno die obtineat, proponam, labor non erit improbus, maiorum sententiam

*f)* DE SELCHOW *Elem. iur. Germ.* § 532. (edit. nouiss.)

*g)* H. A. LANGE *Lehre von Gemeinschaft der Güter unter Eheleuten* cap. VIII.

*h)* DE SELCHOW *I. c.* § 435.

*i)* DE SELCHOW § 534, cfr. *e. c.* G. D. STRUBEN *rechtl. Bedenken*, *Th. I. Bed.* 150. *Th. V. Bedenken* 42.

tiam ex antiquae legislationis monumentis eruere, et tunc demum ea exponere principia, quae, iure peregrino Germanis, pro patriae forte, foris potito, vnu seruantur.

Parentum ius de feudis in liberorum praeiudicium disponendi iisdem, quibus intuitu bonorum aitorum (§ 28), principiis contentum mihi videtur ac circumscripsum. Quibus sat consequens est iis non licuisse feudum absque liberorum consensu alienare, resignare, in vidualitum constituere vel vlo alio modo in filiorum praeiudicium oneribus onerare *k)*; sed filio eiusmodi facta rescindere ac impugnare omnino fas fuisse, nisi in eadem consenserit vel ad eadem agnoscenda alio ex fundamento obstringeretur *l)*. Filius ergo neque hic patri eiusue beneficio succedebat.

Ius feudale maiorum iuris naturalis et communis principiis eatus inferuit, quod filio ea quea iure singulari habet, capere et hereditatem paternam omittere, ideoque allodium patris debitibus aliquis opprimum oneribus, retento tamen feudo, repudiare licuerit *m)*; quamuis eo aeuo hoc principium non in tantum, quam hodie, filii vergerit commodum, quum nec facile, nisi ex bonis patris adquisitis, ad eiusdem facta praestanda obstrictus esset. (§ 25.)

## TIT V-

*k)* I. F. Alem. Cap. 62. (Senkenberg corp. iur. fend. Germ. p. 59.) Cap. 63. Cap. 98. I. F. Sax. Art. 29. § 5. (apud eundem p. 239.) Ius Prov. Sax. Lib. I. Art. 9. Jo. SCHILTER Comment. ad I. F. A. Cap. 64. § 6. Vnde plerisque in litteris indefinitiae caueri solebat, ne vasallus audeat das Lehn zu beschweren. Cfr. ESTOR diss. de inaugurat. beneficior. Cap. III. § 49.

*l)* Quem in finem parentes nonnisi ac cum liberorum consensu de feudis contraxerunt, testibus tot huins aeuo diplomaticis, ex. gr. apud Jo. PETR. DE LUDEWIG in diss. de obligatione successoris in principatus et clientelas (*Halae 1714.*) Cap. VI. § 2. (in Eiusdem opusc. miscell. Tom. I. p. 539 et HELLFELD diss. cit. § IV.

*m)* Vti eidenter adparet ex I. P. Sax. Lib. II. Cap. 21. I. F. S. Cap. 55. I. F. A. cap. 83. cap. 89. cap. 97. § 7. J. T. REINHARTH obs. ad Christian. decisiones Vol. I. obs. 52. nr. 9. Jo. FRID. KOBIUS I. c. § 71. FRID. HENR. MENCKHOFF (Praefide C. O. GRAEBE) de obligatione successoris feudalis simul in allodo succedentis ad praestanda vltimi defuncti facta (*Rintelii 1786.*) § 4-7.

## TITVLVS II.

*Secundum principia Iuris feudalis Longobardici.*

## § 33.

a) *Liberis, repudiato paterno allodio, feudum retinere non licet.*

Ius feudale Longobardicum, et quidem, vt nonnulli obseruant, nouum, quamuis in ponendo successionis ordine liberorum primam habeat rationem; agnatis tamen multo meliorem tribuit conditionem.

Quodsi enim vniuersum defuncti vasalli patrimonium, bona alodialia aequae ac feudalia complectens, ad agnatum defertur; eidem concessit ius hereditatem allodialem aere forte alieno onustam repudiandi, feudum vero retinendi, et proinde se liberandi ab obligatione ad facta defuncti ratione allodii praestanda. Sed liberis (ac omnibus in genere descendantibus) n), haec facultas haud contigit, quippe quorum in feudum successio tam arcta et inseperabiliter cum obligatione allodium paternum non repudiandi coniuncta est, vt descendens vtrumque separare nequeat, sed ad vtrumque vel fuscipendum vel repudiandum obstringatur o).

## § 34.

*Cuius coniunctionis a) rationes eruuntur.*

Quae quidem dispositio, quum iuris positui prorsus sit ac feudorum naturae reuera repugnet, vtpote in que vi iuris proprii ac innati, nec, vltimo defuncto, descendens quilibet succedit, quibusnam ex principiis emanarit? primo loco videndum est. Quaestio, quae tot tantisque Doctorum sententiis agitata est, vt quot fuere Ita, tot fere adsint diuersae conjecturae, quas vero componere neque mearam est virium neque instituti rationibus conuenit.

Qua ex Ictorum sylua, ea profecto maxime mihi arridet opinio, quae necessariam hanc vtriusque patrimonii coniunctionem paterni nominis conservandi ac honoris rationibus inniti arbitratur; ad quem curae cordique habendum ac diuitiis anteponendum pietate filius gratitudine aliisque, imperfecti licet iuris, rationibus, neutiquam vero agna-

n) Perillust. GEORG. LUD. BOEHMER princip. iur. feud. (edit. 5 de 1789.) § 140. CAR. HENR. MOELLER vsus practicus distinctionum feudalium Cap. XVI. dist. VII.

o) II. F. 45. II. F. 51. § 4.

agnatus obstringitur p). Innatam ergo hanc iuris non cogentis legem in ius perfectum ac cogens transmutauit textus iste consuetudinum feudalium, ac huic vnicce fundamento inter agnatum filiumque diuersitatem imposuit. Et profecto, quamuis ab eorum sententia quam maxime alienus sim, qui filium ad feudum lege, ut aiunt transmissionis, paterno ex beneficio admittunt; oritur tamen ac procedit a patre, ab eodem tanta beneficia ipsumque vitae halitum accepit, et eatenus quoque patris beneficio in feudum succedit, quod si pater istud feloniam aliquo modo amiserit, illud ad filium non peruererit. Longe alia contra agnatorum est conditio. Neque ergo filium, pro tot patris curis ac beneficiis, onus illud recusare decet, debita paterna suis ex diuitiis (quas pro parte patri debet) expungere et eo nomen patris, quod et suum ipsius est nomen, et cuius honor vel dedecus et filium tangit, conseruare ac defendere q). Iniquum ergo visum est, filium patris allodium ob aes alienum ab eodem contractum in ipsius patris dedecus repudiare, et nihilominus feendum, quod mediante patris sanguine ad ipsum peruererit, ab eodem patre absque ullo onere accipere. Quum ergo patris nomini contumeliosum omnino sit, tam eiusdem hereditatem herede carere (Romana namque principia, ni fallor, etiam hic adparent) quam eiusnomina haud expungi et reliqua facta euentu destitui; per necessarium hanc coniunctionem filius, feendum adpetens, ad adeundam simul patris haereditatem allodium obstringitur.

Accedit argumentum ab origine feudorum petitum; quod enim initio feudorum usus morte vasalli extingueretur, sequenti autem aevo post patris mortem filii tribueretur, non item aliis agnatis. Ratione destituta proinde eorum sententia mihi non videtur, qui filios

p) Ill. GEORG. LUD. BOEHMERUS I. c. § 140. G. A. STRUV S. J. F. Cap. IX. aph. XI. nr. 4. Cap. XIV. aph. 30. nr. 2. SIGIS. FINCKELTHAUSS feudales Controversiae illustres Diff. VI. §. 22. p. 206. JUSTUS LUD. BECHTOLD. BOEHMERUS in diff. inaugurali et tract. de Filio Vasalli Successore in Feudum (Göttingae 1779.) Cap. I. § 6. JO. THEOPH. HENRICUS PIRNER in diff. inaugurali ad II. F. 45. (*Traiecti ad Viadrum 1788.*) § 9.

q) Neque enim eorum sententiae simpliciter subscribendum reor, qui nominis paterni honorem laedi negant, si filius paternis debitis exsoluendis prorsus se se subtrahit, vti ingeniose caeteroquin autumant CAR. ADOLPH. DE BRAUN in A. F. Schott. juristischem Wochenblatte Jahrgang 4. nr. 1. pag. 7. et PIRNER I. c. § 12. Sat multae, licet iuris imperfecti, rationes contrarium suadent.

filios ad feudum nonnisi patris heredum specie olim admissos, feudumque in illos, paternos tamquam in heredes, transisse, statuunt r).

Animo compilatorum consuetudinum longobardicarum, hisce principiis agitato ac occupato, superuenierunt eumque fixerunt iuris Romanici principia, quibus hoc tempore et hac in prouincia nemo non imbutus erat s). Nullum, argumentabantur, heredem hereditatem scindere posse eamque pro parte adire pro parte vero repudiare, id quod eo magis ad feudum quadrare videbatur, quum longobardi tunc temporis feuda non ut beneficia maiorum, sed ut fundum potius aliquam rem a patre adquisitam eiusque patrimonii partem constituentem, sint contemplati.

Sic iuris Longobardici autores haud dubie rationabantur; iuris non cogentis rationibus plus iusto, ni fallor, tribuentes, ac, id quod facile adparet, iurium Quiritium sanctis nimium imbuti eaque parum recte intelligentes ss). Sed quidquid sit, hoc ratiocinium legali autoritate ornatum est atque munitum, qua et hodiendum (an nostram in utilitatem, an in detrimentum? quisque decidat t) absque dubio pollet. Quam legem non omni prorsus recta ratione esse destitutam tt) concieisse sufficiat, licet rationibus eamdem insufficientibus et principiis initii iurium peregrinorum possime hic applicatis, lubenter fatear u).

### § 35.

*β) et in genuinam eiusdem indolem inquiritur.*

Expositis rationibus, quibus singularis haec constitutio fundatur, ad eiusdem indolem ac ambitum definiendum, progrediendum est, quippe in quo Doctores iterum admodum discrepant v). Quorum vero senten-

r) Cfr. HARTM. PISTORIUS quaest. Lib. II. qu. 13.

s) Vti resti suspicatur JO. AUG. HELLFELD in elem. iur. f. 253. cf. e.g. II. F. 78. Quem vero errorem errauerint demonstrat BRAUN l. c. p. 4-7.  
ss) vid. § 29. not. a.

t) BÖHMERUS fil. l. c. cap. I. § 16.

tt) Id quod eidem obiicit JO. PET. DE LUDEWIG in obseruat. ad STRYKII examen iuris feudalii Cap. 4. qu. 48

u) Vti sūsū deduxit WOLLR. BURCHARDI de quadruplici hereditate etc. Cap. III. § 40.

v) Diversas eorumdem opiniones recensent JO. P. DE LUDEWIG in diff. de obligatione successoris cet. Cap. V. DE BRAUN l. c. p. 11 sqq. et PIRNER l. c. § 13 et 14.

1003.

sententias hoc loco enumerare ac perpendere huius Commentationis fines excedit; et si quae mihi sit opinio proferre licet, ego quidem, comparandis diuersis hisce doctrinis nihil effici putarem, praeter confusione multo inextricabilorem. Quaenam huius constitutionis genuina mihi videatur vis, paucis proponendum.

Rationem legis esse, ne debita patris allodialia non exsoluantur, ex §pho antecedente, certo est certius. Filius, quo eadem expungat, per necessariam allodii cum feudo coniunctionem compellitur. Nam, quem fendum et allodium diuersum plane sit patrimonium, agnato utrumque separare licet, sed non filio (§ 33), qui, utrumque retinendi vel repudiandi necessitate obstrictus, ad facta ex allodio praestanda feudi nomine concurrere tenetur. Non desunt tamen, qui hoc, deficienteibus ipsis legis verbis, ex eadem deducere recusant, at, ut mihi quidem videtur, non iustis ex rationibus. Ipsa enim constitutio, id quod neutiquam me fugit, quamvis hac ex feudo concurrendi obligatione expresto filium non obstringat, eadem tamen ex legis rationibus a mente induci potest ac debet. Prima namque eiusdem paragraphus regulam ponit, quod successor feudalis, repudiato allodio, de debito hereditario aliquid feudi nomine soluere non sit cogendus; secunda vero §phus, quoad filium ab eadem exceptionem subiungit; cui, quid magis consequens, quam quod is de debito hereditario h. e. allodiali feudi nomine quid soluere debeat, id quod per verba eiusdem finalia fortius adhuc comprobatur, quippe quae filium, positis iustis terminis, feudum absque hereditate adeuntem hac ex feudo conferendi obligatione absoluunt. Et cui, quaeso, alias, omnis haec dispositio? quae filium inter agnatumque differentia? Ipsam ergo thesin filium ad facta patris allodialia praestanda feudi nomine contribuere oportere, extra dubitationis aleam positam esse, plerique fatentur. Sed noua eademque maximis intricata dubiis suboritur quaestio: quatenus nimirum filium ad haec facta praestanda feudi nomine concurrere teneri? Sunt, qui filium non nisi ac ratione fructuum feudi obligatum censem; sed adfunt etiam iisque summae famae Doctores, qui filium in subdividum ex ipsa quoque feudi substantia praestare obligatum statuunt. Illorum sententiae subscribendum puto w), non ob factam prima testatus paragrapho fructuum mentionem (nam fructus ii tantum ibidem leguunt.

F 2

w) GE. LUD. BÖHMER princip. iur. feud. § 140. JUST. LUD. BECHT. BÖHMER tract. cit. Cap. I. § 12. PÜTTMANN elem. iur. feud. Cap. XXI. MENCKHOFF diss. cit. § 10. PIRNER diss. cit. § 9 11 et 12.

leguntur, qui secundum II. F. 28. § 2 pro allodio ipsius defuncti habentur), sed ob feudorum naturam, totamque legis indolem. Mens enim eiusdem est, quod, excuso et deficiente allodio paterno, filius ad facta patris allodialia praefenda ex suis ipsius bonis, circa quae libere disponere potest, suisque concurrat diuitiis. Ipsum vero feudum eiusque substantia, in quod omnibus prima in inuestitura comprehensis ius est quaeſitum, quin ad liberum filii patrimonium referatur, fieri plane nequit; et filius, si ad graffandum in ipsa substantia teneretur, ius hocce agnatorum quaeſitum laederet. Feudi contra fructus, per nota iuris feudalis principia, allodii instar habentur ac proinde in libero cuiuscunq; poffessoris, ergo et filii, dominio exiftunt atque patrimonio, quos ad conſeruandum patris honorem dicare filius recufare noueſt. Nec denique iuris feudalis Longobardici principiis conuenit, quod patri liceat, in praejudicium agnatorum feudi substantiam per indirectum, debita nimirum allodialia contrahendo, alienare ac one- rare, quium direc̄te feudum vlo modo onerare eidem nefas fit. Quid, et nonne hoc eueniret, si filius ad facta allodialia patris praefenda ipſam feudi substantiam conferre teneretur? Filius porro feudi no- mine, non niſi ad facta patris ex allodio debita praefenda, concurrere iubetur, quum omnis haec constitutio debitorum allodialium fauore innitatur et ad eadem vnicē pertineat<sup>xo</sup>, id quod ex ipsa legis littera comprobatur, quum de onere tantum debitoque hereditario praefando loquatur, sub quo mehercule nihil quam facta allodialia (quia hereditatis nomine, id quod ne probatione quidem, eget, allodium venit) comprehendendi poſſunt. Neutiquam ergo factorum patris feu- dum conceruentium ratio est habita vel mentio facta, et lex haecce, utpote ſpecialis, priuilegiū odiosi plena, a reliqua omnium iuriuum ana- logia deflectens et, vt BRAUN eidem obiicit<sup>y</sup>), poenalis ideoque re- strictiue interpretanda, ratione debitorum feudalium nihil plane im- mutauit, sed filius, perinde ac quilibet agnatus, successor est manetque singularis et feudalis, niſi in quantum fructuum feudi intuitu, filii obligatio in eo differat, vt eidem hoc textu obligatio fit imposta facta patris allodialia in ſubſidium ex hiſce feudi fructibus praefandi.

Quibus praemissis, facili opera adparet, quod ii fallant atque fallantur, qui ex hac iuris Longobardici diſpoſitione generale illud idque

<sup>xo</sup>) Ampliss. G. L. BÖHMERUS I. c. §. 130. 313. 276. Ejusd. Fil. I. c. cap. I. § VI in f. DANIEL NETTELBLADT difi. cit. cap. III. Sect. II. § 5. KOBE I. c. § 70. p. 130. PIRNER I. c. § 10 fqq.

<sup>y)</sup> I. c. p. 15. n. 2. cfr. PIRNER I. c. § II.

2003. C.

idque decantatissimum formant brocardum, quod filius, per hunc tex-  
tum heres patris vniuersalis factus, ad omnia eiusdem facta feudalia  
aeque ac allodialia, praestanda, obstringatur; error, quem errant, fi-  
lio admodum infaustus et si hac in doctrina genuina cupimus principia,  
penitus eliminandus graduque depellendus. Filius enim, dicta  
ut repetam, res enim nimis magni est momenti, per hanc constitutio-  
nem ratione feudi ac patris factorum illud concernentium neutiquam,  
nisi ad fructus eiusdem in debitorum allodialium praestationem con-  
ferendos, obstringitur, eiusque circa feudum ius prima ex ineßitura  
quaesitum eidem perinde ac agnato saluum manet tectumque.

Diuersae praeterea circa hoc ius longobardicum ad feuda Germanica adplicandum oriri solent quaestiones, quas, quum pro et contra  
aeque fortes militent rationes, decidere vix et ne vix quidem audeo.  
Quorsum an filius, repudiata patris hereditate ac feudo, fideicomissa  
ex p. et pr. maiorum retinere queat? an etiam feuda, quibus qualitas  
stemmatica superaddita est? z) an hic textus II. F. 45. ad omnia feuda  
adplicari debeat? et quae sunt reliquae hoc genus quaestiones.

Rationes denique, quibus haec peregrini iuris constitutio, quo  
minus adplicetur, impeditur, adsert GEO. ADAM. STRUVIUS a).

### § 36.

- b) *Sed discrimen inter successionem allodialem et feudalem, quum hac  
vtriusque coniunctione non sit sublatum; filius in utramque succedens,  
duplici spectatur qualitate:  
a) tamquam heres allodialis.*

Quibus sic constitutis, quam maxime cauendum est, ne cum non-  
nullis successionem filii in feudum in hereditarium ac vniuersalem  
esse transmutatam statuamus b). Successionis namque feudalis ac al-  
lodialis discrimen haudquaquam sublatum est, sed vtriusque et allodialis  
et feudalnis qualitas, vti ipsum patrimonium, distincta et a se diuersa  
manet, et filius diuersam omnino diuersoque titulo adquirit successio-  
nem et diuersa proinde vtrum representatione diuersoque iure.

F 3

Consi-

- z) Vtramque affirmat BRAUN l. c. p. 21 et 25.

a) In S. I. F. Cap. XIV. Aph. XXX. n. 7. BRAUN l. c. p. 29 sq. MÖLLER  
l. c. Cap. XVI. dist. 7. An, consentiente p̄tre, filius feudum ab alladio  
separare possit? disquirit FRIDER. DE BEHMER in iure nov. controv. Obs.  
XXI. p. 213.

b) BÖHMERUS Fil. in tract. cit. § XI. dist. GODOF. MOLL (JAC. FRID. BOUGET)  
in differt. num filius feudum a patre alienatum renucere possit? (Bonnae  
1788.) § 4. p. 8. KOBUS l. c. § 64. p. 118.

Consideratur nimirum filius, necessarius ex iuris dispositione in allodium successor, primo loco ut heres patris allodialis, et ex factis defuncti allodium concernentibus, prout illud ex bonis vel autitis vel vulgaribus consistat, secundum principia iamiam exposita (§ 27 et 28), obstringitur, et, in eadem praestanda, ut fructus conferat, quos ex feudo percipit et qui ratione filii, et quae eidem competit, dispositionis pro allodialibus habentur, tenetur. Neque ergo filio beneficium inuentarii eum in finem indulgendum putarem, ut de debitis patefnis allodialibus, nonnisi in quantum vires huius allodii sufficiant, teneatur c). Quod enim si contendis, omnis juris longobardici vis atque mens elideretur, et filii ac agnati conditio plenissime adaequaretur; et quid paternum in honorem filius consecraret? Obstringit potius ius peregrinum filium, vt, exhaustis allodii viribus, ad debitorum allodialium expletionem feudi nomine eiusdem fructus contribuat. Sed ad quaenam circa allodium facta praestanda filius fructus feudi conferre debeat? iterum inter Doctores non conuenit. Neque cum PIRNERO d) ad ea tantum putarem, quae in numero debitorum patris pecuniariorum sunt; sed filium potius ad ea omnia obligatum censem, ad quae praestanda ex iuris, quo circa allodium vtitur, principiis obstringitur, quum feudi fructus reuera ut allodii pars considerentur.

Nec contra hoc inuentarii beneficium, omni heredi concessum, hoc effectu filio denegandum arbitror, ut ne ultra vires vtriusque et allodialis et feudalis patrimonii actius teneatur e), et quoad feudum quidem ne ultra fructus ex eodem prouenientes, substantia enim eiusdem salua semper teatque mansura f).

Obligatio ergo filii ad facta patris allodialia agnoscenda per hunc textum neutiquam augetur, nisi eatenus, quod altera filii qualitas, successoris nimirum feudalis, in eorumdem expletione concurrere debeat. Nec ergo ad alia praestanda obligatur, quam quae successor quilibet allodialis agnosceret tenetur, non ergo ad facta nulla, inualida, suum ius quae situm laudentia &c. &c.

## § 37.

c) III. G. L. BÖHMERUS I. c. § 313 in f. BECHT. BÖHMER I. c. § 13. PIRNER I. c. § II.

d) Diss. cit. § 12.

e) III. G. L. BÖHMERUS I. modo cit.

f) Num filio competit beneficium, ut vocatur, competentiae disquirit G. D. STRUBEN in rechtl. Bedenken Tom. I. Bed. 6.

## § 37.

*β) tamquam successor feudalis, cuius nomine  
ex factis patris perinde ac quilibet successor feudalis non tenetur.*

Successionem filii in feudum per eiusdem cum allodio coniunctionem in hereditariam non converti, Spfo antec. iam expositum est. Successio igitur feudalis ab allodiali separata semper ac distincta manet, suis ipsis propriis principiis aestimanda. Filius ergo patri in feudum succedens, non est heres vniuersalis, sed successor singularis et feudalis.

Quibus consequens est, filium in feudum succedere eodem ac agnatus quilibet iure, ex primae scilicet inuestiturae beneficio, ex qua eidem perinde ac cuiuis in eadem comprehenso ius succedendi quae- situm est immutabile et ab quolibet feudi possesso eiusque beneficio vel dispositione prorsus independens, quod proinde nec a patre nec ab vlo tertio adimi, restringi, minui, villove onere onerari potest. Quaecunque ergo, quae ad huiusmodi iuris quæsiti laesionem tendunt, facta, nulla sunt, nec successorem feudalem vlla obligationis specie obstringere possunt, cui potius ius est omnia eiusmodi facta reuocandi, impugnandi; quae omnia in persona filii neutiquam immutantur, quippe qui ex eodem inuestiturae beneficio, ac agnatus, in feudum succedit, et cuius, vt successoris feudalis, obligationi per hunc textum nihil additur, praeterquam quod ad fructus feudi ad expungenda nomina allodialia conferendos teneatur, id quod tamen magis ad heredis allodialis (quia fructus feudi allodialium bonorum censu habentur et allodio adnumerantur) quam ad successoris feudalis partem pertinet, ideoque haecce filii obligatio cessat, si pater in allodii nomine nihil reliquerit.

Eorum itaque sententiae adsentiendum neutiquam reor, qui vi huius textus filium ad praestanda patris facta, quibus ipsa feudi substantia laeditur atque oneratur, obligant, v. c. ad agnoscendas emphyteuses, seruitutes, omnis generis alienationes &c. &c.; ius enim defuncti parentis renocabile tantum est, nec ultra vitam eius quid constitueri valet. Filio igitur, me quidem iudice, omni profecto iure competit facultas, omnia eiusmodi facta impugnandi, feudum ergo a patre alienatum reuocandi *ff*), onera ab eodem feudo imposita recu- fandi

*ff) Ex fundamento hoc argumentum tractauit J. L. B. BÖHMERUS in tract. cit.  
Cap. III. quem, haud tamen prospero, vt ego quidem existimo, successu confu-*

fandi &c.; quum eius obligatio per heredis allodialis qualitatem haud immutetur, nisi ad id, ut illud, quod pater erga facta, quae a filio impugnantur, acceperit, licet vel maxime in eiusdem hereditate non amplius reperiatur, heres tamquam allodialis, restituat g). Interea, quum feudi fructus ut allodium habeantur, et filius facta patris circa allodium agnoscere teneatur, eorum opinio feudorum naturae non repugnare forte videtur, qui filium ad quaecunque circa fructus feudi pater disposuisset, praestanda obligatum censemt h).

## § 38.

*ββ) nisi ratio obligandi specialis interueniat.*

Quodsi ergo filius ad facta patris feudalia praestanda obstringi debet, fundamentum speciale ut accedat, necesse est, id quod cumpromis continetur in filii consensu, in versione in eiusdem non minus ac feudi utilitatem, et quae sunt reliquae rationibus, quarum intuitu ratione filii nihil obtinet iuris specialis i).

## § 39.

*c) Autoritas huins textus II. F. 45. hodierna disquiritur:*

*a) ratione feudorum proutis constitutorum.*

Filio secundum iuris Germanici principia licuisse, repudiato al-  
lodio paterno, in feudum succedere, nec eum de debitis hereditariis  
teneri (§ 32), exposui. Sed prouti, introduc̄to iure feudali peregrino,  
iuri antiquo patrio omnis vis ac autoritas sit ademta, ita etiam hoc  
in argumento ius longobardicum iuri doméstico iure meritoque est  
praeferendum, nisi hoc, Lege vel obseruantia particulari seruatum  
esse

confutare adñfus est MOLL diff. cit. Praxis varia videtur dubiaque. Böhmeri eamdemque iustiorem sane sententiam in Megapoli obtainere (modo beneficio inventarii filius v̄sus sit) attestatur E. J. F. MANTZEL ius Mekl. et Lubec. illustr. P. I. iudic. 41. Conf. tamen DE LUDOLF Symphor. Confusat. et decis. T. II. dec. XI. p. 624. A: (quocum conferend. est T. II. dec. I. p. 41. C.) DE PUFENDÖRF obs. iur. univ. T. III. obs. 146. DE CANNEGISSE decis. summi Trib. Hass. T. I. dec. 34. n. 2 sqq. decis. 98. § 9 sqq.

g) BÖHMERUS l. c. Cap. I. § XII. PIRNER diff. cit. § 9.

h) Perill, G. L. BÖHMERUS princip. iur. feud. § 276.

i) Eas illustravit Ill. Jo. Nic. MOECKERT (s. Frid. Guill de Kettelhodt)  
in diff. de signato in feudo crita consensum obligato. (Gotting. 1785.)

esse adpareat<sup>b)</sup>). Nec proorsus vituperandae videntur rationes, quibus motos p[re]iae iure patrio ius longobardicum hoc in articulo recepisse maiores proponit LUDEWIG 1), quod nimirum feuda pleraque essent oblata ac emitia, nec aes alienum conrahendi olim tam frequens fuerit occasio ac facilitas. Quae ergo Longob. consuetudines, quamvis in complexu iam essent receptae, non desunt tamen Leges territoriales, quae hunc textum difertis verbis comprobent atque confirment m). Quae omnes leges hanc liberorum obligationem in reuuenientia

b) III. G. L. BOEHMERUS l. c. § 140. CRAMER obf. T. I. obf. 251. 280. 422. MÜLLER l. c. Cap. XVI. dist. 7. not. 10 ibiq. cit. et peculiari dissertatione hoc defendit WOLFG. ADAM SCHOEPEFF proedris iuris feud Longob. p[re]iae alemannico praeципue in obligatione filii successoris feudal[is] ad solvendum aes alienum conspicua. (Tubing. 1762.)

1) In diff. de obligat. successoris etc. Cap. VI. § 4. not. 99.

m) Ceu *Constitutiones Augusti Saxonis Electoris* de 1572. Part. II. Tit. 47. (apud Lunig Corp. iur. feud. Germ. Tom. II. pag. 598.) *Churfürstl. Sächsisches Auschreiben d. d. Torgau 8. May 1583.* (ibid. p. 608.), quod edictum etiam in principatus Saxo- ducalibus, Gothano, Altenburgico, Meiningenfi, Coburgico, Vinariensi, Isenacensi et Hildburghausano obtinere attestatur KONE l. c. Cap. VI. § 68. § 67. eiusdem historiam § 76. proponens. Conspirat cum edito ad verba usque *Churfürsten Johann Georg II. Erledigungen der Landes-Gebrechen* d. d. 5. Junii 1661. (LUNIG l. c. p. 637.) Cfr. BENED. CARPOV Part II. C. 47 def. 45 sqq. *Fürstlich Anhaltische erneuerte Landesordnung* Tit. 15. (LUNIG l. c. pag. 1822.) Cfr. KOBE l. c. *Recessus* d. d. Eltzae 20. Octob. 1614. (apud PUENDORFF in introduct. in proceſſi. ciuil. Elect. Brunfv. Luneb. Part III. Cap. 22. § 29. *Testimonia memoratu dignissima Curiae feudal[is] Brunnuico-Laneb.* de 1636 et 1676 apud LUNIG l. c. pag. 1367 et 1371 et *Calenbergische Canzley-Ordnung* Tir. XXXVI. § 16. (ibid. pag. 1368.) Jo. HENR. DE SENCKENBERG de feud. Brunfv. et Luneb. § 51. *Wolfenbüttelische Hofgerichtsordnung* Tit. LXXV. (LUNIG l. c. p. 1466.) Cfr. SENCKENBERG l. c. § 52. *Constitut. Marchicar* d. d. Custrin 1569. (LUNIG pag. 802.) *Reversales Marchicar* de 1611. Art. 19. (ibid. p. 812) et *Constitut. de 1724. Parte I.* § 8. in fin (ibid. p. 887.) *Ordinatio Politica Magdeburg.* Cap. VIII. § 26. Cap. XLIV. § 6. (LUNIG l. c. p. 961.) Eamdem sanctionem in territoriis *Osnabrugensi*, *Virceburgensi*, *Colonensi*, *Moguntino*, *Mosasterensi*, *Paderbornensi*, *Treirensi*, *Bavarico* et *Austriaco* obtainere affirmat de LUDEWIG l. saep[er] cit. Cap. VI. pag. 98; idem de Principatu Schwarzburgico attestatur KOBE l. c. Cap. VI. § 68 et 77; de feudis *Sueco-Pomeran.* cir. Jo. Br. ENGELBRECHT introduct. in notit. feudor. Pomer. Sueciae Cap. VI. § 8. Cap. XI. § 6-11; et de Haſſiacis de CANNEGISSER decif.

tia parentibus eorumque nomini exhibenda, in obedientia ac pietate praeceptisque passim diuinis ponunt, caeterum expositae iamiam iuris Longobardici indoli hand vbiue inseruientes; quum hanc obligacionem eo vsque partim extendant, vt ipsa quoque feudi substantia in praestanda facta patris conferatur, nec filio licet feudum a patre alienatum reuocare et onera ab eodem ipsi feudi substantiae imposita impugnare, et vt, filio repudiante, fructus feudi sequestrentur, donec repudians et eius descendentes vixerint debitaue sint soluta; quum alibi contra Leges filio permittant feudum vel hereditarium vel agnaticum a patre alienatum reuocare, nec eundem, nisi fructuum nomine, obligatum statuant, et quae sunt aliae id genus dispositio-nes, ad ius cuiusvis territorii particulare magis spectantes.

Neque tamen defunt iura territorialia, quibus ius antiquum Germaniae seruatum est, et quae hanc inter filium agnatumque distinctionem non admittunt, quum vterque ad debita defuncti vasalli hereditaria feudi nomine exsoluenda in subsidium alia ratione te-neatur n).

#### § 40.

*β) ratione feudorum Imperii.*

Accedo nunc ad quaestionem illam agitatissimam, et maximi fane momenti; an nimirum textus noster II. F. 45 ad feuda Imperii maiora,

decis. supr. Trib. hassiac. Tom. I. dec. 35. Hanc tamen legem non indi-finiebat *Projekt des Mecklenburgischen Lehn-Rechts* Tit. VI. Art. 6. (capud LUNIG I. c. p. 1592.)

n) Id quod inter nobiles Franconiae immediatos vnu seruari testatur KORNE I. c. § LXXIII. sqq. Eamdem in *Megapolit. dispositionem* exhibet *Projekt des Mecklenburgischen Lehnrechts* Tit. VI. art. 5. rationem art. 7 hisce addens verbis: *denn in allen und jeden Fällen die Lehne nach unserer Landesgewohnheit die Schulden abragen.* (LUNIG I. c. p. 1592.) MÖLLER I. c. Cap. XVI. dist. VII. ibiq. cit. quibus add. C. A. H. WOLFF de obligatione domini et agnati ad solvendum ex feudo vasalli defuncti debita. (*Bucephal.* 1787.) Ad sanctiōnēm ordinat. politicae *Schaumburgicæ de 1615* Cap. 16. commentatus est FRID. WILH. PESTEL in dist.: explanatio iuris clientelaris Schaumb. de obligatione successoris feudalis ad solvendum aes alienum haereditarium (*Rintelii 1754.*) § X sqq. et DE CANNEGISSE R. c. Tom. II. dec. 231. Idem in *Pomerania* obtinere docent *Conf. feud. Pom.* Tit. XXII. § 1.

ad 16. 3. 1803.

maiora, quibus superioritas territorialis adnexa est, (nam de maioribus tantum loquor, minora eodem ac feuda priuata iure censenda videntur) adplicari possit? Feuda enim maiora ea hoc loco reputantur, quibus dignitas regalis adnexa est, et quorum possessores imperantium maiestate pollut et conspicui sunt, ac, hoc praecipue in argumento, ex iuri publici vniuersalis principiis aestimantur o). Eius indolis vasalli, quamuis haud iisdem cum subditis vtantur iuribus, nec ex eo, quod status hi de vasallis suis statuerint, ad valorem in ipsorum familiis valeat consequentia; ex imperantium tamen subordinatorum notione iam consequitur, eosdem Legibus a communi eaque superiore potestate latissimis receptis regi ac teneri; nec proinde iura Germaniae communia tum domestica tum peregrina ideoque ius etiam feudale longobardicum ratione vasallorum Imperii imperantium obtinere, ambiguendum, sed eo magis in eiusdem applicatione circumspiciendum est; quia ius hoc feudale peregrinum feudorum imperii intuitu eatemus tantum est receptum, quoad natura eorum propria et iura specialia eidem non repugnant p). Omnis ergo quaestio summa eo, ni fallor, redit, vt inquiratur: an eiusdem textus receptio et applicatio propriae feudorum Imperii indoli repugnet nec ne? an nimirum eorundem, vt rerumpublicarum, natura patiatur, quod defuncti principis filio fasces regiminis, nisi simul cum priuata patris hereditate, capescere non liceat, sed is ad utrumque suscipiendum et facta patris allodialia ex fructibus feudi h.e. redditibus publicis in subfidiis praestanda obstringatur? Nani, id quod obiter monere liceat, quatenus facta antecessoris in regimine, qua talis, praestare teneatur, non ex hisce principiis dijudicandum, quum eorum intuitu textu II. F. 45 nihil innouetur; nec porro si territorium eiusque regimen nullo nexu feudali est obstrictum, sed mere allodiale, de iuris Longobardici principiis ad illud adplicandis, vlla quaestio moueri potest (\$ 29).

G 2

Quae-

o) Vti ex iudicatis Supremorum Imperii tribunalium obseruat G. D. STRUBEN Rechtl. Bedenken Tom. I. Bed. I. § 1. Cfr. que generatim scripserunt AUGUST. DE BALTHASAR in disq. de incongrua iuris feudalis Longob. ad feuda Germaniae applicatione § 6. (apud lenichen Tom. I. p. 321.) et G. CH. BASTINELLER de praeiudicio principum ex abusu iuris feudalis Longob. (ibid. p. 323.)

p) Duum - Viri Perilustr. GEORG. LUD. BOEHMER in princip. iur. feud. § 392. et Jo. STPH. PÜTTER in primis lineis iuris priuati princip. § 2. et in eiusdem Rechtsfällen Band II. Theil III. Bedenken 220. nr. 14.

Quaestionem si ad genuina reuocaueris principia, mox adparebit istud ius longobardicum, quoad hunc articulum, ratione feudorum imperii maiorum haudquaquam posse recipi, et, si vñquam ad ea fuerit adplicatum, limpidis neutiquam ex principiis. Quodsi enim vñquam, in principe profecto potissimum, diuersa, priuati nimirum ac imperantis, qualitas sedulo distingui et fecerni debet; vtraque, in imperante praeprimis, a se invicem est independens, tum ratione susceptionis, tum obligationum inde orientium, quam si confuderis, perpetuum errabis errorem. Lata enim est haec lex de feudo privato, quod magna ex parte filius patri, non autem maiorum prvidentiae debet, nec sane de ciuitatis regimine a populo summaue potestate mandato maioribusque adquisito. Notandum cumprimis insigne inter fructus feudi priuati ac territorii, id quod quodlibet maius Imperii feudum est, discrimen, ad quos, quum de iis ius longobardicum disponat, praecipue respiciendum mihi videtur. Illius prouentus in nullius quam ipsius filii commodum vtilitatemque nascuntur, inque eiusdem allodio ac pleno habentur dominio; quos ergo si paterni nominis honori conseruando consecrat, nemo quam ipse filius, eiusque ad summum descendentes, damnum patiuntur, cuius pondus pietas iis minuit. Sed toto mehercle coelo fecus, si filius in territorium successor eiusdem redditus ac prouentus ad expungenda nomina patris allodialia confert. Nam hi redditus principi non suum in commodum suamque in vtilitatem ex domaniis, regalibus, oneribus populo impositis, aliquis fontibus obueniunt, sed vel a populo vel a maioribus principi eum in finem sunt constituti, vt faluti et necessitatibus reipublicae, cui praeest, inde prouideat ac subueniat. Nec eosdem alium in vsum convertere principi licet, nec defunctus pater, quod viuus ipse non potuit, per filium quo fiat, facere potest. Quis enim, quaeſo, facta defuncti praeſtaret? quis in honorem eiusdem conseruandum tot tantisque commodis priuaretur? An filius, vtrum ciuitas populusque? Sed, vereor ne mihi obiciatur, quod princeps eos tantum territorii fructus ad aes alienum patris exſoluendum conferre debeat, qui suis vtilitatibus commodisque, aulae ex. gr. instituendae ac familiae sustentandae sunt dicati. Verum enim vero, per hanc etiam limitationem, populus magis quam princeps puniretur, quippe in quem detrimenti multum redundaret, si per tenuem fortunam (competentiae nomine caefareis vſitatem commissib⁹) princeps, aliis bonis plerumque deſtitutus (nam nonniſi ac in ſubſi-

subsidium fructus territorii in censum vocantur) impediretur, quomodo boni principis, salutis reip. ac subditorum promotoris ac conservatoris, officio fungatur, et quo minus suis ex diuitiis publicae ac singulorum necessitati, pro re nata, subueniat, quin quantis commodis populus singulique priuarentur, si princeps aula ac splendore vel penitus vel eiusdem saltim dignitati pari careat? Nec denique in hac principis indigentia, pro comperta ad hodie usque experientia, fieri nequit, quod onus in subditos suo tempore non deuoluatur <sup>q).</sup> Supponit ergo hicce textus, id quod euidentissime adparet, fructus, quorum dominus est filius, nec ergo ad feudum applicari debet, cuius fructuum sola administratio est penes filium in feudum successorem. Ad incommode, quod ex huius legis applicatione in totam rem redundaret, illud accedit, quod debita allodialia, ad quorum explanationem ciuitatis prouentus conferri debent, a defuncto, qua priuato, numquam in reipublicae utilitatem (nam tunc ex alio fundamento v.c. in rem versione ad eadem praefstanta successor obstringeretur) plerunque autem in eiusdem detrimentum inque finem ciuitati perniciosum principemque ab eiusdem cura auocantem sint contracta <sup>r).</sup>

Quae attulisse sufficiat, ut quam erronee hanc iuris longobardici dispositionem ad feuda maiora Imperii applicari, ipse quisque decidat. Eiusdem in hisce feudis vsus reipublicae admodum est perniciosus; neque profecto indoli, menti ac voluntati Germaniae procerum et familiarium illustrium, plena gaudentium autonomia, conuenire potest. Cui enim usui et bono tot de conservando familiarium splendore instituta ac dispositiones, quum per unicam hanc legem omnis maiorum prudentia funditus euerteretur? Tanta ergo mala reipublicae, principi eiusque genti, per peruersam eamque perniciosam iuris exoticum, genuinis iuris patrii (cuius conservandi cura illustribus maxima) principiis contrariai applicationem inferre, et territorii reditus ad allodium principis referre, animus horret.

S 41.

<sup>q)</sup> Quem conferas, dignus est BRUNNEMANN Conf. I. nr. 191.

<sup>r)</sup> Confer. Ill. PÜTTER l. c. nr. 55 - 58.

## § 41.

*Argumenti Continuatio.*

Nec contraria sententia sat limpidis hausta est ex fontibus. Qua primo feso obtuitu commendare videtur, aequitatem, cerebrinam tamquam, plene, destruxit perill. PÜTTERUS *s*). Illud argumentum, quod nimurum ius feudale longobardicum, ut ius commune, in complexu sit receptum, illius principii, an propriae feudorum indoli repugnet, petitio videtur, quum ipsi aduersariae opinionis propugnatores hanc receptionem haud ultra, quam horum feudorum natura eamdem admittat, defendant. Qualis porro illud argumentum sit armaturae, quo, pleraque territoria allodiis feudisque quum sint mixta, filium hanc in vniuersitatem succedere eoque nomine, bonis confusis, ad omnia patris facta praestanda teneri, statuant, hoc loco, ut deducam, vix et ne vix quidem opus est *ss*). Nec desunt, qui ad iuris Romani principia configuiunt; qui filium in territorium succedentem heredem patris tamquam suum ac necessarium et vniuersalem, ad eiusdem facta praestanda condemnant *t*), quae quidem ratio, qualis sit ponderis, res ipsa docet. Alias coniecturas ut taceam.

Quibus omnibus permotus eorum sententiae subscribo, qui, repudiato paterno allodio, territorium *ex p. et pr. maiorum* quaefustum retinere eoque ab onere factorum patris allodialium ex feudi redditibus praestandorum feso abdicare filio permittunt, nisi pacta familie adsint, quae hanc facultatem eidem negant. Quae quidem sententia, rei naturae ac iuris patrii sanctis (§ 32) conformis, exemplis in familiis illustribus neutiquam destituta est *u*). Nec summorum Imperii tribunalium praxis nobis aduersatur, quum, vti testatur GEORG

MEL-

*s*) l. c. nr. 55-58. cum nr. 43 et 49.*ss*) Otium mihi fecit DE BRAUN l. c. pag. 24.

*t*) Argumentum, quod prae caeteris, inter alia eiusdem momenti, vrgetur in libello 1752 edito: *Unumfößlicher Beweis daß des jetzt regierenden Herrn L. z. H. D. Dero Hochfürstl. Herrn Vaters, Vorfahren an der Regierung, hinterlassene passiva zu bezahlen, verbunden. Sed conf. Zweyer berühmten Rechtsgelehrten ausführliche Erörterung der Frage: ob ein Landesherr seiner Vorfahren Schulden zu bezahlen gehalten sey?* (1752. 4.) § 55. pag. 58.

*u*) Eadem indicat PÜTTERUS l. saepius c. nr. 31. conf. Jo. STRUCK confil. XXVI. nr. 156. p. 889.

MELCHIOR DE LUDOLF v), non simpliciter admissa sit in Camera Imperiali thesis, quod filius successor in feudo aucto aere patris alieno obstringatur; nec nouioris praxis defensoris munus suscipere vellem, quem tamen nostro caeteroquin aeuo coecus ac infelix iuris peregrini vesus magis magisque gradu, quem hucusque obtinuit, depellatur. Sententia quoque mea autoritate multorum eorumque maximi nominis ictorum ornata est inque iis ad sensu PÜTTERI superbit w). Legibus denique familiarum illustrium pestiferam hanc et erroneam iuris longobardici adlicationem, si eidem architribunalia inhaerere pergunt, exsulem esse iuberi, quid magis, sperandum est atque optandum x)?

- v) In Symphora Consultat. et decisionum forensium Tom. III. decis. 24. p. 1063. litt. B. ibique cit. GAIL obs. Lib. II. obs. 128. nr. 19 et obs. 154. LYNNCKER analecta ad Struv. ins feud. Cap. 13. § 33. qui C. IX. Aph. XI. docet daß ein Sohn vermöge der Rechten, so im Kaiserl. Cammergerichte üblich, seiner väterlichen Erbschaft sich entschlagen und nichts des Vateren nicht sein altväterliche Stamm-Lehn behalten möge, dabey er die väterlichen Schulden abzutragen, unverbunden. Cfr. etiam MYNSINGER Cent. III. obs. 67 et LUDOLF Tract. de introd. iuris Primogenit. Part. Spec. § 6. nr. 7.
- w) In Responso nomine ampli, qui hac in alma floret, ictorum ordinis concepto de 1771, (quod extat in Viri Perill. Rechtsfällen Band 2. Th. III. Bedenken 220.) et in primis lineis iuris priuati principum § 66. Eamdem, praeter ictos qui iuris patrii prae longobardico proedriam defendunt (REINHARTS obs. ad Christ. decis. Vol. I. obs. 52.) tenuent GUILH. FRID. PISTORIUS in amoenitat. historico-iuridica Parte III. p. 796. BURCHARDI in diff. cit. Cap. I. § 9. Cap. III. § 40. JO. PETR. DE LUDWIG in gelehrt in Anzeigen Tom. 2. p. 367 sqq. (apud MOSER Teutsch. Staatsrecht Tom. XXII. p. 479 sqq.) Zweyer berühmter Rechtsglehrten ausführliche Erörterung etc. § 67. pag. 69. CAROL. ADOLPH. DE BRAUN (confil. Imp. aulicus) l. siccus cirat. pag. 24. Dedublio in Sachen der Familie von Dittfurth wider den Landgrafen von Hessen-Cassel § 17. (in I. A. REUSS Dedubtions und Urkunden-Sammlung Band I. nr. III. pag. 270.) Ill. ADOLPH. FELIX HENR. POSSE über Sonderung reichsfürstlicher Sigists- und Privatverlässenshaft (Göttingen 1790. 8.) § 65. pag. 208 et 209. Cfr. etiam CHRIST. JAC. DE ZWIERLEIN Nebenstunden. Th. I. Abh. III. § 15. (Giessen 1778. 8.)
- x) Diplomatic immunita dignissima legitur in dem Fürstl. Nassauischen Erbverein von 1783. Art V. daß auch ein Sohn, wenn er sich der väterlichen Privat-Erbshaft entschlagen will, die väterlichen Schulden zu bezahlen nicht schuldig. (in REUSS Staats-Canzley Theil XVI. pag. 99.) Similiter legem euoluere licet in der Gräflich-Solmenschen Erbeimgung von 1579. (in LUNIG R. A. Tom. XI. pag. 314.)

MEMBR.



## MEMBR. II.

*Ex factiis parentum illicitis.*

## § 42.

I) *Secundum principia iuris naturalis.*

Exposita liberorum ad facta parentum licita praestanda obligatio[n]e; secundum instituti rationes (§ 17), quatenus pro eorumdem delictis respondeant? videndum est. Quoduis vero factum illicitum et poenali prohibitum sanctione, duplicem quam pariat obligationem, alteram ad poenam subeundam, alteram ad damnum delicto datum resarcendum, utriusque ratio hoc loco est habenda et utraque omnem per commentatorem a se inuicem separanda.

Liberos parentum heredes factos ad poenam delicto prae scriptam luendam obligari a naturalibus principiis omnino abhorret *y*), quippe quae delinquentis personae vnicet et quam arctissime inhaeret, nec ad alterum quemque criminis innocentem hoc effectu transire potest, ut hac poena afficiatur; nec tamen excluditur, quod supremus poenarum finis, gravissimus in delictis, talem extra ordinem admittat sanctionem.

Sed quum eadem aequitas, a LL. agnita, ne in alterius damnum heres ex delictis defuncti locupletior fiat, suggerat; ad restituendum quidquid ex iisdem in hereditate adest vel quo eadem locupletior est facta, heredem iure meritoque obligatum putarem, modo ne restitutio vires hereditarias excedat.

## § 43.

II) *Ex principiis Iuris positivi*AAA) *Romani.*

Hisce principiis Ius Romanum eatenus inferuit, quod obligacionem ad ipsam poenam patientiam delicti tantum autorem tenere eiusdemque cum capite ambulare *z*), nec proinde, quippe personalissimam delin-

*y)* PUFENDORFF I. N. et G. Lib. VIII. cap. 3. § 33. MONTESQUIEU *Esprit des Loix.* Livr. VI. chap. 20.

*z)* I. 7. § 1. D. de capite minutis. I. 26. D. de poenis. I. 22. C. eod. I. 34. D. de Reg. iur. conf. G. H. AYRER in progr. de aequitate iuris Romani poenas ad heredes non tranfire statuentis (Götting. 1752.)

delinquentis morte extinctam, in heredem transire statuerit *a*), siue poena, ad quam tendit, sit corporalis siue pecuniaria. Quae sanctio, quamvis poenas quoad corporales, sit generalis, ratione e patrimonio praestandardum, nonnullis subest exceptionibus, hoc loco subiungendis. Ad ipsam enim poenam luendam heres tenetur, si in privatis iudiciis lis vel vere vel ficte cum defuncto contestata et (accidente praeterea proprio heredis facto, hereditatis scilicet aditione) actio inde perpetuata sit heresque quasi ex contractu obligetur *b*); nec non si publico aequo ac priuato in iudicio poena ipso iure sit commissa *c*), vel denique ex malae fidei conscientia defunctus mortem sibi consciuerit *d*). Publicis autem in iudiciis, quum L. C. ad perpetuandam in heredis persona obligationem non sufficiat, sed condemnatio requiratur; in iisdem nemo heres, nisi condemnati iamiam rei, ad poenam obligatur *e*). Nec denique nonnulla defuncti delicta, ex quibus heres semper tenetur *f*).

Ex principiis non minus aequis alteram, quae quouis ex delicto oritur, obligationem ius Romanum diiudicavit. Nam turpia lucra heredibus ut extorqueantur, licet crimina extincta sint *g*), constituit, quia, quod scelere defuncti heredi obuenit, ad eiusdem patrimonium referri

*a)* § 1. I. de perpet. et temp. action. I. 33. D. de O. et A. I. 38. I. III. § 1. D. de R. I. t. t. C. si reus vel accus.

*b)* l. vn. C. ex delict. def. in quantum hered. I. 22. D. de O. et A. I. 164. D. de R. I.

*c)* l. 20. I. 22. D. ad SCt. Silan. I. 14. D. de public. et vectigal. conf. HENR. COCEJUS diss. de obligatione heredis ex delictis defuncti (Francf. ad Viadr. 1691. recus. 1701) Seft. IV. et VI.

*d)* t. t. D. de his qui mortem sibi consciv. (C. C. Carolina Art. 135.)

*e)* l. 20. D. de accusat. l. 2. C. ad legem Julianam repetund. et quidem ob rationem legis 27. § 4. D. de pactis. conf. III. GEO. JO. FRID. MEISTER principia iuris criminalis (Gottingae 1789.) § 75. not. b.

*f)* l. 20. D. de accusat. l. vlt. D. ad legem Jul. Maiestatis. l. 4. § 4. C. de haereticis. l. 2. D. ad leg. Jul. repetund. conf. les Loix civiles rangées dans leur ordre naturel par Mr. DOMAS (à Paris 1777.) Tom. I. P. II. Lib. I. Seft. X. p. 373.

*g)* Sunt verba Ulpiani in l. 5. pr. D. de calumniatoribus. conf. l. vn. C. ex delictis def. in quant. heres. l. 16. § 1. 17. D. Quod metus causa gestum erit. H. COCEJUS diss. cit. Seft. V.

referri nequit et hinc cumprimis inde separandum laesoque, cuius patrimonio abest, restituendum est; indemnitas ergo praestanda non minus ad defuncti aes alienum pertinet, quam quoduis aliud ab eodem contraictum nomen. Dabatur ergo aduersus heredem actio rei persecutoria ad consequendam hanc indemnitatem, et si nec L. C. nec defuncti condemnatio interuenerit. Notandum tamen est, quod hoc in articulo ius Romanum a principiis § 21. propositis admodum recederit, quum heres huius obligationis intuitu, nisi qua lucri turpiter quaeſiti professor consideretur. Quibus duplex illa iuris Romani anomalia consequens est, quod partim heres ad satisfactionem laeso praestandam non teneatur, nisi ex defuncti delicto ad eum vel primum heredem quid peruererit, vel quo minus possideat hoc lucrum, dolo fecerit *h*, ita vt, si plurium coheredum unus tantum locupletior sit factus, contra hunc solum agendum sit, sin vero omnes, contra quemlibet pro rata, nisi eosdem obligatio intercedat indiuidua *i*; et quod, quum nonnisi ac quatenus ad eum peruererit, i. e. quatenus ex ea re locupletior ad eum hereditas venerit *k*, obligatus sit, heres, vt res ipsa docet, vltra vires hereditatis non teneatur.

§ 44.  
BBB Canonici.

Heredem omni ad poenam subeundam obligatione solutum iura pontificia statuisse, vel inde apparet, quod neminem alieni criminis successorem constitui, nec ullius crimen nescientem maculare, diserte iubeant *l*.

Ius idem pontificium, quamvis caeteroquin a Iuris Romani fancitis plerumque non deflectat, in eo tamen illud deseruit, quod heredes ad praestandam *eadem* priuatam satisfactionem, qua ipse defunctus, si viueret, obstrictus esset, pro viribus hereditariis cogi ac compelli iusslerit, haud attento Iuris Quiritium discriminé, an heres ex delicto defuncti

*h*) 1. 16. § 2. 1. 17. D. cit. 1. 26 et 27. D. de dolo malo. 1. 38. l. 44. D. de R. I. Exceptiones videſis in 1. 2. 1. 7. § 2 D. de cond. furt et 1. 6. § 4 D. rerum amot.

*i*) Conf. G. H. AYRER (cf. Frid. Christ. Müller) de actionibus ex delicto rei persecutorii adv. hered. delinq. in solidum competentib. (Götting. 1752.) 1. 2. § vlt. D. de vi honor. raptor. 1. 2. C. vnde vi.

*k*) 1. 26. D. de dolo malo.

*l*) C. I. qu. 4. per t.

act. 3. Nov. 6.

defuncti locupletior factus sit, nec ne *m*)? Quae constitutio naturali non solum rationi magis consentanea est, quam Ius Romanum, quum partim omnino aequum sit, heredem, et si ex defuncti delicto ad eum nil peruererit, damna a defuncto data resarcire, quippe quas aeris alieni habent rationem, partim vero aequae sit iustum, eundem ad hanc obligationem ultra vires hereditatis actius non teneri; sed praeterea singulari eiusque aei ingenio haud absonta innititur ratione, ut sic, resarcito, quod viuus dederit, damno, defunctus a peccato valeat liberari *n*).

Etsi igitur nullum heres confecerit inuentarium, ex legis tamen sententia ultra vires hereditatis actius non tenetur.

### § 45.

ccc) Germanici,

a) antiqui.

Legum majorum, si ad tempus respexeris antiquissimum, monumenta: crimina suos tantum sequi autores nec proinde heredes ex iisdem teneri, statuant *o*). Nec tamen, quin conueniatur, in quantum ex defuncti delicto ad eum peruererit, heres liberabatur *p*).

Iisdem principiis ius medii aei innititur, ita ut heres, ab obligatione poenali solitus *q*), ad restituenda delicto ablata eaque facta defuncti p[ro]sta, quibus hereditas est ampliata, omnino teneatur *r*).

### H 2

### § 46.

*m*) C. 3. X. de pignoribus et aliis cautionibus. c. 5. X. de raptoribus. c. 14. X. de sepultur. c. 9. X. de v[er]s[us]. cfr. J. H. BÖHMER ius ecclesiast. protest. Lib. V. Tit. VII. § 5.

*n*) Sunt verba Alexandri III. Pontificis in c. 5. X. de raptoribus.

*o*) Lex Wifgothorum Lib. VI. Tit. I. § 8 (ap. Georgisch p. 2020.) Edictum Theodorici Regis cap. 88 (ap. eumd. p. 2225) Capitularia Lib. VI. nr. 53. (ibid. p. 1519.)

*p*) ex. c. Edictum Theodorici l. c. in f.

*q*) Ius Provinc. Alemann. Cap. 261. § 1. (Senkenb. corp. iur. med. aei T. II. p. 311) Cap. 297. § 2 et 4 (ibid. p. 348.) Ius Prov. Saxonicum Lib. I. Art. 6. (Ludov. p. 21.) Lib. II. Tit. 17. (ibid. p. 249.) Lib. III. Art. 31. (p. 449.) Bayerisches Landrecht (de anno 1344) cap. 99.

*r*) v. c. I. P. A. cap. 296. § 5. cap. 297. § 3. I. P. S. Lib. I. Art. 6. I. P. S. Lib. II. Art. 6. Lib. III. Art. 31.

## § 46.

b) *hodierni.*

Quibus praemissis, quid hodiendum in Germania, inrupto in patriam iure peregrino, obtineat, inquirendum.

Quoad obligationem heredis, ipsam, quam defunctus meruerit, poenam subeundi s. ad satisfactionem publicam, Ius Romanum quoad legibus particularibus nil aliud cautum, vsu fori pollet, ita vt, si regulam quaeris, nullus heres, non attento bonorum discrime, ad eamdem obstringatur. Nec defunt Leges Territoriales multis in argumentis, ex. c. bonorum confiscatione, iure Romano mitiores s). Ne praeterea per parentum delicta liberis indirecte v. c. in ab opificiis exclusione etc. t) praeiudicetur, cautum est.

Quaestio: quatenus heres ad resarcendum damnum a defuncto datum teneatur? quum satisfactio haec priuata aeris alieni rationem habeat, secundum bonorum diuersitatem (§ 19) vnice decidenda.

Remissa, quid circa feuda obtineat, tractatione ad §phum sequentem, bona allodialia praecipue hoc loco sunt spectanda.

Bona quidem vulgaria s. adquisita quoad, quae liberae cuiuscunque postfeoris dispositioni sunt relicta, quum iuri Romani principiis possideantur ac regantur, argumentum nostrum ad eiusdem iuris principia foret reuocandum, nisi illud iuri Canonico (§ 44) cessisset. Sed, modo diuersas circa obligationem heredis quaestiones secundum §phum 16 hoc etiam loco probe secreueris, ius Romanum in decisionem etiam hodie partim esse reuocandum, facili opera erit ad animadvertisendum. Quousque enim et quasnam obligationes per delicta pater bonis suis hunc in effectum posse imponere, vt liberi inde obstringantur, quantum ego quidem video, ex nullis, nisi Romani Iuris, principiis decidi potest. Quousque autem suscepitas halce obligationes heres implere teneatur, ex iuris Canonici principiis (§ 44) diuidicandum est, quum per illud ius Romanum, quoad hunc articulum, gradu suo sit depulsum u), ita vt haud amplius illud

atten-

s) Praeeunte ipso Caesare in C. C. Carolina Art. 228. in f.

t) Conf. R. I. de 1731. art. 13. § 1 et 2.

u) J. T. REINHARTH Observ. ad Christ. decis. Vol. III. obs. XI. III. G. L. BÖHMERUS in princip. iur. canon. § 877. dissent. tamen DE CANNEGESSER in dec. supremi Trib. appellat, Hafio-Cassellani Tom. I. decis. 63. § 2.

ad h. f. 1802. c.

attendatur discriminis, num heres inde locupletior sit nec ne? sed, modo ne ultra vires hereditarias, semper, aequo ac ex licitis defuncti factis, obstringatur.

Ex iis, quae § 28 adtuli, facilis mehercule negotio constabit, ratione bonorum auctorum successoris obligationem ad indemnitudinem propter delicta defuncti praestandam iisdem contineri principiis, quibus illa ad facta eiusdem licita praestanda, quum defuncto parenti profecto non magis licuerit eius indolis bona per delicta sua et pro satisfactione eorumdem priuata quam per facta licita et aliis pro oneribus obligare, quum satisfactio in hereditatem a patre derelictam haud computetur; nec tamen umquam heres nisi quad vires hereditatis actius tenetur. Fundamentum enim obligationis speciale multo difficilis hic cogitari posse, in propatulo est.

## S. 47.

*ddd) Feudalis Longobardici.*

Supereft, vt quatenus pater liberos ratione feudorum delictis suis possit obligare, proponam. Ius quidem Longobardicum, sicuti liberorum causae parum in genere secundum, ita etiam contra iuris antiqui Germanici feudalis principia v), flebile illud inter filium et agnatum constitutum discriminis, quod ille nullo modo ex delictis defuncti vasalli feudalibus teneatur, filius contra ob eadem una cum patre et una cum omni sua progenie feloniae poenam feudique patiatur priuationem w). Quae, quamquam dura admodum, lex, nisi ius territoriale mores seruarit patrios x), ratione feudorum priuatis constitutorum vicem regulae hodienum obtinet, nec, ob generalem eiusdem litteram, fine vi eidem illata, ad veram feloniam, restringenda videtur, licet alias, quoque salua Legis mente litteraque fieri potest, quam maxime restrictiue interpretanda. Quam vero priuationis poenam ad Vafallos Imperii minores, quippe priuatos, adplicari, quamuis neutiquam negarem; ex principiis tamen (§ 40 et 41) expositis neminem profecto

H 3

fugere

v) *I. F. Sax.* (ex ed. Senkenb.) Art. 24. § 28. *I. F. A.* Art. 41. § 3. Art. 89 § 7. SCHILTER ad h.l.

w) II. F. 26. § 17. II. F. 31. II. F. 78.

x) Sunt namque leges provinciales hanc priuationis poenam ad quasi feloniam restringentes v. c. *Ius Sax. electorale* P. III. Conf. 27. *Projekt des Meklenb. Lehnsrechts* Tit. XXIII. Art. 12.

fugere potest, ius illud peregrinum ratione maiorum ac regali dignitate praeditorum feudorum per rei naturam nulla ex ratione posse recipi y), sed principes potius Imperii Vasallos suorumque territoriorum imperantes ex iuris publici vniuersitatis et iis, quae circa bona stemmatica obtinent, principiis esse aestimandos, nec proinde ob delicta paterna feudo eique adnexa regali dignitate priuari nec ad damnum a patre datum ex territorio sive allodiali (§ 27) sive feudali resarcendum esse compellendos, nisi alia forte specialis ratio eosdem obstringat ex. c. ratione bonorum, in quibus princeps ut priuatus consideratur, liberoque gaudet disponendi iure z), vel damnum a patre, ut imperante, sit datum, et quae sunt reliquae id genus rationes.

y) Perill. G. L. BÖHMERI princip. iur. feud. § 498 et 500.

z) Conf. ex. gr. *Testamentum Ioannis Guill. Saxo-Vinariensis ducis de 1573*  
§ 24 in f. (apud LUNIG R. A. Pars special. Band V. Theil II. p. 98.) Da wir bey unserm Leben jemahls Unrecht gethan, welches uns jedoch nicht bewußt und solches ausgeführt würde, dafür sollen unsere lieben Söhne, nach erkannter Sachen und Befindung der Billigkeit gleichmäßige Erstattung thun und sich in dem nichts verhindern und abhalten lassen.

Göttingen, Diss., 1790-91

ULB Halle  
004 826 981


3



f

TA → OL  
nur 1 Sh. d. v.





CHRISTOPH. CAROLI HENR. DE KAMPTZ  
MEGAPOLITANI

COMMENTATIO

DE

FVNDAMENTO ET LIMITIBVS  
OBLIGATIONIS LIBERORVM  
AD FACTA PARENTVM PRAESTANDA.

IN CONCERTATIONE  
CIVIVM

ACADEMIAE GEORGIAE AVGUSTAE

DIE IV. JUNII CICCCXC

PRAEMIO A M. BRITANNIAE REGE AVG.  
CONSTITUTO

A DIVDICANTE

INCLYTO IVRECONSULTORVM ORDINE  
ORNATA.

*Fortia facta patrum gentis cunabula nostrae*  
VIRGILIUS MARO.

GOTTINGAE  
TYPIS JO. CHRIST. DIETERICH.

KENPFER  
UNIVERS.  
ZVHALIE